Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

# Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

## Digitale Sammlungen

# Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...

Fasc. 3

**Brauer, Hermann Brauer, Hermann**

**Bremen, 1722**

urn:nbn:de:gbv:46:1-5911

Visual Library

# BIBLIOTHECA

## *Hiſtorico-Philologico-*

# THEOLOGICA.

Claſſis *Sextae*

FASCICULUS TERTIUS.

*B*REMÆ,

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII

Typis HERMANNI BRAUERI, MD CCXXII.

# VIRO
*Magnifico, Excellentiſſimo, ac ſumme reverendo*
# CHRISTIANO FRIDERICO BOERNERO,
ſanctioris diſciplinae in alma Philyrea Doctori ac Profeſſori Ord. meritisſimo,
Collegii majoris Principum Collegiato, Canonico Cizenſi,
Bibliothecae Academicae præfecto,
ET RELIQVA,
Viro munerum ſplendore, meritorum pondere, ſacrarum elegantiorumq; literarum comſummatâ cognitione, aliarumque virtutum copia longe celebratiſſimo.

Tertium

*Tertium* hunc ſupra *trigeſimum*

# BIBLIOTHECAE

HVJVS

# FASCICVLVM,

reverentiae, obſervantiaeque teſtandae gratia benevole ſuſcipiendum committit,

ſeque, & officia ſua, & amicitiam animo ejus honoribus, addictiſſimo oblatum it

EDITOR.

# Syllabus eorum, quae in hoc Faſciculo leguntur.

I. *Hermanni* REINERS de vocum *Juſtitiae* & *Juſti* in ſcriptura ſignificatione diatribe p. 385.
II. *Jacobi Friderici* REIMMANNI de *Valle Joſaphat* conjecturae p. 412.
III. *Stephani* VITI ſchediaſma, in quo Cl. LOERSII de *angelorum corporibus* ſententia examinatur. p. 418.
IV. *Jo. Georg.* SCHELHORNII de λογικῃ λατρεια ad locum Rom. XII: 1. obſervatio p. 488.
V. *Juſti Martini* GLAESENERI de *interceſſione beatorum* particulari problema reſolutum diatr. p. 506.
VI. V. B. S. de *Caroli* M. contra imagines libris, eorumque primo editore *Eli. Phili.* diatr. p. 520.
VII. *Eilh. Folcarthi* HARCKENROTHII epiſtola, in qua nonnulla ad hiſtoriam S. & literariam ſaeculi XVI. ſpectantia exhibentur. p. 538.
VIII. Catalogus librorum a Proteſtantibus, praecipue Reformatis editorum GERMANICE continuatus. p. 561.
IX. Epitaphium Ducis Marlboroughii. p. 571.

ב״ש הקב״ה

I.

# *Hermanni* REINERS,

## Exercitatio de vocum JUSTI & JUSTITIAE multiplici ſenſu, in quibusdam ſcripturae locis, uſurpatis de Deo & hominibus.

§. 1.

ET olim & hodie doctiſſimos complures viros, voces *juſti* & *juſtitiæ* in multis ſcripturæ locis, de *bonitate*, *benignitate*, *clementia*, *miſericordia*, *eleemoſyna* &c. interpretatos eſſe, ex eorum ſcriptis notius eſt, quam ut prolixe probari debeat. Paucos tantum memorare ſufficiet. Et ecce *Durandum*, qui in *4. diſp. 47. q. 3.* monet juſtitiam quandoque *condecentiam divinae bonitatis* ſignificare. *Flacius Illyricus* in *Clav. p. m.* 498. ſcribit etiam, *Non raro juſtitia be-*

*beneficentiam, aut benignitatem denotat.* Cl. *Gatakerus cin. L. 2. c. 9. Juſtum vero ſæpenumero* ἀντὶ τοῦ ἀγαθοῦ *ſumi; hoc eſt, non pro eo qui ſtricto jure agat, ſed qui benigne, pie, moderate, miſericorditer ſe gerat, ex multis ſcripturae locis liquidiſſime patet. Cl. Vorſtius de Hebr. N. T. Part. I. p. m. 45.* Obſervat vocabulum צדקה in nonnullis ſcripturae locis ſignificare etiam *liberalitatem & benignitatem*, & græcam vocem δικαιοσύνην exemplo Hebrææ, novam hanc ſignificationem habere. Verum enim vero non deſunt viri doctiſſimi & graviſſimi, quibus hæc diſplicet ſententia. Inter quos nominare debeo Celeberrimum ac eruditiſſimum *Alphenum* Ultrajectinæ decus Academiæ, qui in doctiſſimo ad *Dan. IX.* 16. Commentario diſſenſum ſuum profeſſus eſt, oſtendens nullam eſſe neceſſitatem voces *juſti* & *juſtitiæ*, in locis pro hac notione citatis hoc ſenſu accipere. Cui nos etiam ſubſcribimus ſententiæ, eamque poſt Clariſſimum illum virum, pace & bona cum venia doctiſſimorum virorum diſſentientium, rerum argumentis paulo latius confirmare animum induximus.

§. 2. Quaedam tamen praemonenda ducimus antequam ad examen locorum, ſcripturae veniatur 1. *Juſtitiam* de Deo uſurpatam ſignificare nonnunquam *Juſtitiam ejus ultricem*, qua peccata hoſtium ulciſci cupit, & ulciſcitur. Sociniani quidem ſcribunt in *Catech. Racov. C. VIII. de morte Chriſti, eam juſtitiam quam*

ad-

*adverſarii miſericordiæ opponunt, qua Deus peccata punit, nusquam literæ ſacræ hoc nomine Juſtitiæ inſigniunt, verum iram & furorem Dei appellant.* Hanc ſententiam amplectuntur etiam alii viri docti, qui hæreſin Socinianam deteſtantur, ut *Oſiander* & *Camero.* Qui poſterior in *myr. Evang.* ad *Rom. III.* 21. aſſerit juſtitiæ vocabulum nunquam in ſcriptura adhiberi ad id ſignificandum quod vulgo Juſtitiam dicimus, nempe affectum illum, quo Deus ad ſcelera & peccata vindicanda propendit, irae & judicii vocabula ad hoc ſignificandum potius adhiberi. Sed falſiſſimum hoc eſſe aſſertum, maniſeſtiſſimum eſt ex iis ſcripturae locis, quae juſtitiam Dei ultricem nomine *Juſtitiae* exprimunt, ut *Pſ. IX. 5. Act. XVII. 31. Rom. I. 32. II. 5. 6. III. 5. 6. 2. Theſſ. I. 6. 7. Apoc. XVI. 5. XIX. 11. 15.* &c. II. *Juſtitiam Dei* eſſe etiam *jus & voluntatem liberandi ſuos* ab oppreſſionibus hoſtium *Jeſ. XLIX. 9.* &c. III. *Juſtitiam Dei* deſignare aliquando *Juſtitiam ejus remunerativam*, qua credentibus & reſipiſcentibus ob meritum Jeſu Chriſti ἰσοῤῥοπον ſuamque liberaliſſimam promiſſionem ſui communionem in hac & futura vita concedit, nec negare poteſt 2. *Tim. IV. 7. 8.* &c. IV. *Juſtitiam Dei* ſonare etiam pleniſſimam Chriſti juſtitiam divinae legis perfectiſſima obedientia, & exactiſſima pro peccatis noſtris ſatisfactione acquiſitam *Phil. III. 9. &c.*

§. III. Sed & notandum juſtitiam de homi-

minibus uſurpatam ſumi 1. pro *juſtitia operum* *Rom. X. 5.* II. pro *juſtitia Chriſti imputata* quae *juſtitia fidei* dicitur *Rom, IV. 6. 13.* &c. III. pro *jure ad bona fœderalia* ex præſtitis conditionibus fœderis gratiæ *Jeſ. LVIII. 8.* &c. IV. Pro *juſtitia inhaerente* verſante circa actiones animi internas & externas cum Dei lege congruentes, & jus ſuum cuique tribuente *Prov. XXV. 5. XXIX. 14. Luc. I. 74, 75. Act. IV. 19. Eph. V. 9. Tit. II. 12. 1. Theſſ. II. 10. 1. Joh. II. 29.* &c. V. pro *quibuscunque rectis factis*, etiam *externo opere juſto Pſ. XI. 7. Ezech. XVIII. 22. Tit. III. 5.* &c.

§. 4. Caeterum probe obſervandum eſſe exiſtimamus, *primo juſtitiam* in ſuo formali diſtinctam eſſe a *benignitate, liberalitate* & *miſericordia* &c. Quemadmodum ſcriptura diſtinguit inter צדיק & חסיד *Pſ. CXLV. 17.* צדיק *juſtus eſt Jehova in omnibus viis ſuis,* וחסיד *in omnibus operibus ſuis*, ut & inter ἀγαθὸς & δίκαιος *Matth. X. 45.* & *Rom. V. 7.* Μόλις γὰρ ὑπὲρ δικαίου τις ἀποθανεῖται. ὑπὲρ γὰρ τοῦ ἀγαθοῦ τάχα τις καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν. Ubi talem agnoſco inter δίκαιον & ἀγαθὸν diſtinctionem, qualem ſtatuebant Judaei inter צדיק & חסיד & Romani inter virum juſtum & bonum. *Secundo*, quamvis in actibus juſtitiæ Dei & hominum intercurrant actus quidam bonitatis, benignitatis & miſericordiæ, diſtinctionem tamen nequaquam tolli. Quomodo fidei & caritatis actus ita ſibi invicem impliciti ſunt, ut

ut fidem exercere nequeamus ſine intercurrentibus quibusdam amoris actibus, cum tamen fides a caritate diſtincta ſit 1. *Cor. XIII.* 13. *Tertio* conjunctionem juſtitiae cum *bonitate, benignitate* & *liberalitate*, diſtinctionem potius quam confuſionem inferre, quandoquidem nulla in ſacro codice tautologia admitti poteſt. Sic quamvis conjungantur δικαιοσύνη, ὁσιότης, ἀγαθωσύνη, ἀλήθεια, πίςις & ἀγάπη *Luc. I.* 74. 75. *Eph. IV.* 24. V. 9. 1. *Theſſ. II.* 10. *Gal. V.* 6. 1. *Tim. I.* 5. 14. non tamen inter ſe confundunt, ſed vere diſtinguunt ſolidiſſimi ſacrarum literarum interpretes. Hiſce in anteceſſum obſervatis, exiſtimamus voces *juſti* & *juſtitiae* in iis ſcripturae locis, quae a doctiſſimis & clariſſimis viris laudantur, non eſſe exponendas de *bonitate, benignitate, liberalitate, miſericordia* & *eleemoſyna* praeciſe. Cum commode ſatis de memorata modo multiplici juſtitia Dei & hominum accipi poſſint.

§. 5 Praecipua autem loca quae de *juſtitia Dei* agunt ſunt ſequentia 1. *Sam. XII.* 7. *Nunc itaque ſiſtite vos, & contendam vobiscum coram Jehova: De omnibus Juſtitiis Jehovae quas fecit vobiscum & cum majoribus veſtris.* Ubi *Symmachus* habet περὶ πασῶν ἐλεημοσυνῶν Κυρίου. *Hieronymus, miſericordiis Domini.* Sed ex contextu liquidiſſimum eſt *Juſtitias Dei* hic eſſe *juſtas Dei actiones*, quibus Deus exaudiens patres Iſraëlitarum nomen Jehovae inclamantes, liberavit ex Aegypto &c. *v.* 8. & ob oblivionem Jeho-

vae Dei eorum punivit ſub judicibus &c. *v.* 9. Confer *Jud. V.* 11. Mich. VI. 5. Caeterum cum Pſaltes *Pſ. V.* 9. orat. *deduc* me בצדקתך *in juſtitia tua*, per *Juſtitiam Dei* non intelligit ejus *bonitatem*, ſed vel juſtitiam qua Deus eum injuſte oppreſſum liberaret, ut poſſit eſſe tutus ab hoſtium inſidiis, unde contra etiam teſtificatus eſt fiduciam ſuam, ſe nimirum adeo auditum nec deſertum iri, quoniam Deus erat juſtiſſimus vindex impietatis, qui non poteſt non deteſtari impiorum crudelitatem, & tandem de ipſis vindictam ſumere *v.* 5. Et *v.* 19. exaggeravit hoſtium furorem, ac magnitudinem ſui periculi. Vel *juſtitiam inhaerentem* univerſalem quam Deus requirit probat & docet quomodo *Chryſoſtomus* interpretatur Καθολικὴν ἀρετὴν, & *Kimchi* exponit. *Ut me adjuves, quo per juſtitiae & judicii tramitem incedam, & me ita per illum dirigas, ut non impingam.* Alii per juſtitiam Dei intelligunt juſtitiam fidei qua apud Deum juſti reputamur, exiſtimantes Eccleſiam N. T. heic orare Deum, ut cum abnegatione propriæ juſtitiæ juſtitiam Chriſti amplecteretur. Similiter quando David dicit *Pſ. VII.* 18. *Celebrabo Jehovam ſecundum juſtitiam ejus*, vox juſtitiae non notat *benignitatem*, ſed *juſtitiam* Dei vindicativam, qua hoſtes Davidis puniret eumque liberaret & defenderet. Optat enim ſervari ſe a perſequentibus & liberari e manibus Saulis *v.* 2. 3. quoniam innocens & immunis erat criminum,

qui-

quibus gravabatur *v.* 4, 5. &c. Quare petit ut Deus conſcendens tribunal judicium inſtituat & juſtitiam ejus manifeſtet *v.* 7-11. & prædicit porro impiorum exitium *v.* 12-17. Ex quibus omnibus ſatis liquet juſtitiam Dei ſecundum quam David Deum celebraturus esſet, eſſe juſtitiam Dei vindicativam. Cum autem prædicitur *Pſ.* XXII. 32. *Advenientes annuntiabant Juſtitiam ejus*, clarum eſt ex contextu *Juſtitiam Dei* non deſignare ejus *clementiam & benignitatem*, ſed *juſtitiam Meſſiae*. Nam actum eſt de ejus regno in toto mundo *v.* 27-30. ejusque perpetuitate quae hic confirmatur a praedicatione Juſtitiae ejus in Eccleſia N. T. Recte ergo ſcripſit *Janſenius* in paraphraſi, *annuntiabunt Juſtitiam Dei, quam praeſtitit in redemptione hominis.* Porro cum David aut Meſſias precatur *Pſ.* XXXI. 2. *In juſtitia tua libera me*, non intelligitur per *Juſtitiam Dei*, ejus *miſericordia*, ſed *Jus & voluntas* Davidem aut Meſſiam injuſte oppreſſum eripiendi ex malis. Petit enim David in hoc Pſalmo a tyrannide Saulis liberari, quae precatio optime confirmatur conſideratione Juſtitiae Dei qua pios injuſte afflictos vindicat. De eadem *juſtitia* loquitur *David Pſ. XXXV.* 24. *Judica me ſecundum juſtitiam tuam.* Precatur enim ut liberetur a perſecutione Saulis & conſiliariorum ejus, ut Deus cauſam ſuam, quae illi cum adverſariis intercedat, judicet, ſuamque innocentiam defendat. Bene *Kimchi*, *judica me de*

*ſtis pro tua juſtitia, & aequitate ſiquidem tu noviſti mecum eſſe veritatem, cum illis vero injuſtitiam & iniquitatem, & ne quaeſo de me ulterius gaudeant.* Neque mihi dubium quin eandem juſtitiam intelligat Pſaltes *v.* 28. *Et lingua mea cantabit juſtitiam tuam.*

§. VI. Sequitur porro *Pſ. XXXVI,* 11. *protende benignitatem tuam erga cognoſcentes te, & juſtitiam tuam erga rectos animo.* Ubi *juſtitia* diſtinguitur a *benignitate,* & exponi poteſt de *juſtitia* Dei *remunerativa,* quam Deus ut juſtus judex erga rectos animo in N. T. exercet. Cæterum *Pſ. XL.* 10. 11. ita loquitur Meſſias, *Praedico juſtitiam in congregatione multa, ecce labia mea non cohibeo, Jehova tu noſti? Juſtitiam tuam non tego in animo meo, fidelitatem tuam & ſalutem dico, non celo benignitatem tuam, & veritatem tuam congregationi multae,* ubi per *juſtitiam* Dei optime intelligitur *juſtitia vindicativa Dei patris* ſontem citra ſufficientem ſatisfactionem pro inſonte non habentis, & conſequenter pleniſſima *juſtitia Meſſiae,* quae hic diſtinguitur tum a *fidelitate* Dei, qua illud omne exacte complevit, quod in lege ſua juſtitiae pollicitus, peccato minatus eſt, tum a *benignitate* qua hominem peccatorem & miſerum dato & admiſſo idoneo ſequeſtro ſecum reconciliavit, tum à *ſalute* ut *effectus* Juſtitiae omnia bona ſalutaria comprehendit. Ut juſtitia Dei hic non debeat accipi pro ejus *miſericordia* quae hic conſideretur etiam ut fons electionis. Quando autem dicitur *Pſ. XLVIII,* 11. *Dextera Dei plena*

*na eſt juſtitia*, non intelligitur per *juſtitiam Dei* ejus φιλανθρωπία & ἐυεργεσία ut *Chryſoſtomus* interpretatur, ſed *juſtitia* ejus *vindicativa* & *remunerativa*, ſiquidem juſtitia haec explicatur *v*. 12. per *judicia Dei*, exercenda nimirum ad perdendos hoſtes Zionis, eumque ſervandum & liberandum. *Auguſtinus*; *juſtitia plena eſt dextera tua, id eſt, multi ſunt, & illi qui ſtabunt ad ſiniſtram, ſed & ibi erit plenitudo maſſae ad dexteram conſtitutae.* Sic *Pſ. L. 6. Jam indicarunt coeli juſtitiam ejus, Juſtitia Dei* non notat ejus *beneficentiam* & *miſericordiam*, ſed *jus & voluntatem* Chriſti colligendi & juſtificandi populum ſuum, ejusque hoſtes perdendi & damnandi. Sicuti introducitur Chriſtus tamquam conſidens in throno judiciali ad Jus dicendum populo ſuo, & ita coelum & terram alloquens *colligite mihi pios meos, facientes mecum foedus per ſacrificium v*. 4. 5. & *v*. 6. additur ratio annunciatæ Juſtitiæ. *Quod Deus ſit judex judicans ipſe.* Similiter cum David orat. *Pſ. LI.* 16. *Libera me a ſanguine, o Deus ſalutis meae: Cantet lingua mea juſtitiam tuam*, juſtitia Dei non eſt ejus *miſericordia*, uti *Symmachus* aliique exponunt, ſed *Juſtitia, Dei remunerativa* qua Davidem reſipiſcentem & credentem in Meſſiam, ob ejus adducendam juſtitiam, a reatu & poena ſanguinis Uriae innocentis & iniquiſſime effuſi abſolvit & liberat.

§. VII. Caeterum quando dicitur *Pſ. CIII.* 17. *At benignitas Jehovae inde a ſeculo usque in ſe-*

*culum eſt erga timentes ipſum & juſtitia ejus erga filios filiorum*, non eſt neceſſe ut *juſtitiam* Dei interpretemur per ejus *bonitatem*, cum diſerte a *benignitate* Dei diſtinguitur. Quare Juſtitia Dei erga filios filiorum ipſum timentium optime exponitur de Juſtitia ejus *Remunerativa* & *voluntate* illos ſervandi ac liberandi. Sic cum Pſaltes orat *Pſ. CXLIII.* 1. *pro fide tua exaudi me, pro Juſtitia tua*, non debet per *Juſtitiam Dei* intelligi ejus φιλανθρωπία cum *Chryſoſtomo*, ſed ejus *jus* ac *voluntas* defendendi juſtam Davidis cauſam adverſus ejus inimicos & perſecutores, uti ex ſequentibus clarum eſt. Alii intelligunt hic *Juſtitiam Meſſiae*, ob quam Deus piorum preces exaudit. Et, quando Deus ait *Jeſ. XLI.* 10. *Etiam ſuſtento te dextera juſta mea*, aut *juſtitiae meae*, juſtitia non notat *beneficentiam*, ſed *jus ac voluntatem*, juſtam Eccleſiae N. T. cauſam agendi atque defendendi contra adverſarios, ut nihil metueret nec propter auxilium divinum aliorſum circumſpiceret. Et cum juſtitia tribuitur dexterae Dei, innuitur non abuſurum Deum ſua potentia infinita, ſed juſtiſſime prorſus acturum absque ulla injuſtitiae mixtura aut ſpecie probabili. Porro cum pater de filio ſuo dicit *Jeſ. XLII.* 6. *Ego Jehova vocavi te in juſtitia*, nihil eſt quod nos cogat aut ducat vocem *juſtitiae* interpretari de *benignitate* Dei, cum commode explicari poſſit de *Juſtitia* quam Meſſias adducturus eſſet, cum pater eum vocaret & conſti-

ſtitueret in foedus populi, & lucem gentium, quare vocati educerentur in lucem & libertatem. De eadem *juſtitia*, & non de *benignitate* & *clementia Dei* ſermo eſt *Jeſ. XLV.* 8. *deſtillate coeli ſuperne & ſuperiores nubes fluant Juſtitia, aperiat ſe terra, & terreſtria edant fructum ſalutis, juſtitiaque effloreſcat ſimul.* Eſſe enim haec de ſolo Chriſto intelligenda patet tum ex attributis ei proprie convenientibus, tum ex *v.* 24. 25. tum ex loco parallelo *Pſ. LXXXV.* 11-14. Et cum Meſſias dicit *Jeſ. LI.* 5. *propinqua eſt juſtitia mea,* Juſtitia non eſt ejus *benignitas, ſed juſtitia ſeculorum* & *jus* quo regnum gratiae inter omnes populos erigeret. Scopus enim eſt indicare media quibus fideles in mediis tentationibus ſe poſſint confirmare, agnitione ſcilicet ſalutis & juſtitiae Meſſiae. Porro cum Meſſias ita loquens introducitur *Jeſ. LIX.* 16. *Et juſtitia ejus fulcivit ipſum.* LXX. quidem habent vocem ἐλεημοσύνης, & *Grotius* cum aliis intelligunt Dei *bonitatem,* ſed intelligi per ejus *juſtitiam, jus* & *voluntatem* Eccleſiam ſuam defendendi & liberandi, & vindictam ab hoſtibus ſumendi, exinde apparet tum quod verſu ſequenti explicetur, *induitque veſtes ultionis in indumentum,* tum quod Jeſ. *LIII.* 5. exponatur de ejus excandeſcentia. Caeterum ſequitur *Dan. IX.* 16. *Domine ſecundum omnes juſtitias tuas avertat ſe jam ira tua.* Seniores habent ἐν πᾶσιν ἡ ἐλεημοσύνη σου, aut prout extat in C. πάσῃ ἐλεημοσύνῃ. Et plurimi interpretes *Juſti-*

*tias*

*tias* interpretantur, *benignitates* & *miſerationes*. Verum Juſtitiae Dei heic commode ſatis denotare poſſunt, *Jus* ac *voluntatem* liberandi populum ſuum ab ejus oppreſſoribus. Quae juſtitia Dei cum ſit conſtantiſſima & immutabilis & in operibus exercita communiter & ſingulariter, merito eam appellat Daniel, & propter eandem mala deprecatur. Confer. *Cl. Fr. Junium* & *Alphenum in h. l.* Et cum dicitur *Joel II. 23. Filii quoque Zionis exultate & letamini in Jehova, qui dat vobis* את המורה לצדקה non putem vocabulum צדקה debere verti *large, prolixe,* & *copioſe*, ut faciunt *Druſius Q. Quæſt. C. VI. Vorſtius de H. N. T. P. I. p.* 46. alii, ſed omnino de *Juſtitia Chriſti* exponendam eſſe tum quia per המורה ſive per *pluviam*, ſive per *doctorem* reddatur, certiſſime Meſſias cum donis Spiritualibus intelligendus eſt, tum quia ei vere competit Juſtitia & ut *pluviae coeleſti Pſ. LXXXV.* 12. & ut *Doctori Pſ. XL.* 10. *Jeſ. LV.* 3. tum quia haec ſpiritualis gaudii vera eſt cauſa. Porro quando promittit Deus *Zach. VIII. 8. Eruntque mihi populus, & ego ero eis Deus veritate & juſtitia*, juſtitia non ſignificat *clementiam* ſed *Juſtitiam* Dei *vindicativam* demonſtratam in Chriſto pro electis patiente, qua interveniente in communionem ſuam adoptat Deus peccatorem & conſequenter *Jus vitae aeternae*. Et cum Meſſias *Mal. IV.* 2. vocatur *Sol Juſtitiae*, nihil neceſſe eſt hoc elogium exponere de *ſole vero*, aut

de

de *ſole qui benigne impertit lumen, & calorem ſuum.* Cum apte intelligi poſſit de *Sole Juſtitiæ* cum reſpectu ad *Juſtitiam ſeculorum Dan.* IX. 24. & oppoſitione ad *ſolem* qui apud Idololatras Juſtitia vel Juſtus vocabatur, ut probat *Cl. Le Moine ad Jer.* 23. *p.* 184. & *ſequ.*

§. VIII. Hactenus egimus de locis ex Veteri Teſtamento citatis quibus juſtitia de Deo uſurpatur. Tranſituris jam ad loca Novi Teſtamenti occurrit primo *Rom. I,* 17. δικαιοσύνη γὰρ θεοῦ ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται, ἐκ πίστεως εἰς πίστιν. Ubi *Chryſoſtomus* δικαιοσύνην interpretatur per τὸ δαψιλὲς αὐτῆς καὶ τὸ εὔκολον *abundantiam ipſius ac facilitatem.* Hunc ſequuntur alii exiſtimantes ita pulcre inter ſe opponi *juſtitiam & iram.* Sed *Juſtitiam Dei* hic eſſe *Juſtitiam Chriſti* manifeſtiſſimum eſt; Ex generali hujus Epiſtolæ ſcopo, qui eſt demonſtrare, *hominem ob juſtitiam Jeſu Chriſti ſola fide apprehenſam Juſtificari, illudque dogma vindicare ab objectationibus Chriſtianorum Judaizantium.* Hinc Apoſtolus in noſtro textu probat *evangelium potentiam Dei eſſe ad ſalutem cuivis credenti,* ex eo quod *Juſtitia Dei* per illud evangelium reveletur ex *fide* in *fidem*, atque adeo primarium evangelii argumentum ſit dogma de Juſtificatione hominis propter Juſtitiam Chriſti fide acceptam. Sicuti ſcriptum eſt *Juſtus ex fide vivet.* Alter locus eſt *Rom. III.* 21. Νυνὶ δὲ χωρὶς νόμου δικαιοσύνη θεοῦ πεφανέρωται. *Clar. Camero* per Juſtitiam hic intelligit *bonitatem, miſericordiam, ſalutem & redemptionem.* Putat-

que

que alludere hic Apoſtolum ad *Jeſ. LVI. 1. Juxta eſt ſalus mea ut veniat, & juſtitia mea ut reveletur*, ubi *Salus* & *Juſtitia* tamquam Synonyma ponantur. Et cum *Hebr. IX. 12.* dicitur Chriſtum ingreſſum in ſanctuarium, inveniſſe æternam redemptionem, alluſionem eſſe ad *Dan. XI. 24.* ubi *Juſtitia* idem ſit Danieli quod *redemptio*. *Celeberrimus Alphenus* in *Dan. IX. 16.* obſervat in editione quadam N. T. verba textus noſtri ita reddi. *Maar nu is de Barmhertigheit Godts geopenbaart.* Nos facile largimur ſalutem juſtitiam & redemptionem eſſe nonnunquam Synonyma; quamvis *Jeſ.* LVI. 1. *Salus* ut effectus a Juſtitia tamquam cauſa videatur diſtingui. Imo contendimus *Juſtitiam* hic ſonare *Juſtitiam Chriſti*, demonſtrat enim Apoſtolus veritatem iſtius Juſtitiæ, de qua egit *Cap. I. v. 17.* Quæ jam manifeſtatur ſine lege ſecus ac olim ubi cum lege juncta fuit, & quæ habet teſtimonium legis & prophetarum. Atqui hæc eſt juſtitia fidei. Sed non concedimus bonitatem, miſericordiam, redemptionem aut Juſtiſtitiam eſſe Synonyma. Licet enim in redemptione & juſtitia per Chriſtum acquiſita, bonitas & miſericordia Dei eluceant, tamen hæ virtutes non exprimuntur in ſcriptura voce juſtitiæ. Tertius locus eſt *Rom.* III. 25. ὃν προέθετο ὁ θεὸς ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν αὐτοῦ αἵματι, εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ. *Grotius* aliique vocem δικαιοσύνης *de bonitate* interpretantur. Sed Juſtitiam Dei vindicativam, qua

pec-

peccatum in Chriſto punivit, intelligendam eſſe ex eo ſatis liquet, quod Apoſtolus hic explicet in ſequentibus, quænam ſit vera & proxima cauſa, ob quam Dei juſtitia in puniendo ſponſore demonſtranda erat, nempe πάρεσις *diſſimulatio*, *prætermiſſio* peccatorum tempore Veteris Teſtamenti. Qua demonſtratione divinæ Juſtitiæ in Chriſti paſſione Deus Juſtus eſt, etiam cum juſtificat impium in ſe, ſed per fidem Chriſto inſitum, ejusque juſtitia imputata juſtum, quare addit Apoſtolus εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον, καὶ δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως Ἰησοῦ. Quartus locus extat 1. *Joh.* I. 9. ἐὰν ὁμολογῶμεν τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν πιστός ἐστι καὶ δίκαιος, ἵνα ἀφῇ ἡμῖν τὰς ἁμαρτίας. Multi interpretes vocem δίκαιος exponunt *bonum, lenem, clementem, Clar. Aretius. Juſtus, hoc eſt, facilis ad miſericordiam, utens magna Juris ſummi mitigatione;* Alii interpretantur hanc vocem, *fidelem & veracem* exiſtimantes Deum per juſtitiam citra temperamentum gratiæ, confitenti peccata ſua, condonationem eorundem non debere. Nos quidem facile concedimus Deum in remiſſione peccatorum bonitatem, gratiam & miſericordiam demonſtrare, quoniam non admittit operum noſtrorum conſortium aut ullam illius rei cauſam quæ in nobis extaret, quo illam conſequamur *Rom. IV.* 24. *&c.* Nec non per admiſſionem ſponſionis Chriſti factam eſſe interpretationem legis κατ' ἐπιείκειαν, non quantum ad intentionem legislatoris, ſed quantum ad expreſſam verborum

for-

formulam. Quia lex non explicavit, an perfecta illa juſtitia neceſſario per ipſam perſonam ſalvandam præſtari debeat, an vero ſponſor poſſit admitti, qui illam præſtet ejus loco. Quemadmodum obſervat *Clar. Witſius Oecon. L. II. C. V. & VI.* Interim & hoc tenemus firmiter Chriſto nihil remiſſum eſſe ex gratia, nihil indultum ex miſericordia, ſed κατὰ τὸ ἀκριβοδίκαιον iram Dei totam pertuliſſe, ac ſummum Juſtitiæ furorem, ut recte *Celeb. Morus* alicubi loquitur. Quapropter bene obſervandum eſt, nihil decedere Juſtitiæ Dei vindicativæ, ſed hanc ſimul valide demonſtrari in media ipſius gratia *Rom. III.* 26. quando peccata remittit reſipiſcentibus & credentibus, quoniam cenſentur eſſe in Chriſto per fidem, ejusque perfectæ juſtitiæ participes. Ex quibus abunde patet vocem δίκαιος in noſtro textu, non aliter exponendam eſſe quam per *juſtum*. Quintus locus reperitur 1. *Joh. II.* 1. καὶ ἐάν τις ἁμάρτῃ, παράκλητον ἔχομεν πρὸς τὸν πατέρα Ἰησοῦν χριστὸν δίκαιον, *Grotio* δίκαιος, hic eſt *bonus* ac *lenis*. Sed omnino retinenda eſt notio *Juſti*, nam alias ejus interceſſio apud juſtum Judicem nihil valeret. *Juſtus* autem hic vocatur non tantum in ſe & ut *Juſtificatus* a patre, ſed etiam ut *Juſtificans multos*. Oppoſitione ad Moſen, qui pro populo intercedebat, ſed populi peccata non poterat amovere. Oppoſitione ad ſummum Sacerdotem, qui non erat advocatus Juſtificans, qui licet in ſanctuario intercede-

cederet pro populo, ſæpe Dei juſtam indignationem placare non poterat. Oppoſite denique ad iſtos interceſſoresd,e quibus *Jeſ.* 43. 23-29. ſecundum ſententiam *Cl. Le Moyne Diſſ. ad Jer.* 23. 6. *p.* 192. 193. Cæterum, obſervo Chriſtum παράκλητον dici non tantum cum reſpectu ad paracletos illos qui in foro cauſas agebant. (Hoc enim proprium erat Rhetorum qui in concionibus populi & Judicum conceſſu agebant. *Suidas.* Ρήτωρ, συνήγορος, δικολόγος, καὶ ὁ τὴν ἰδίαν ἀποφαίνων γνώμην) ſed etiam ad eos qui ut φίλοι rei precibus apud Judicem intercedebant. Quomodo παράκλησις idem nonnunquam deſignavit quod δέησις. Videatur *Harpocration p. m.* 279. ibidemque *Valeſius.*

§. VIII. Pergimus ad ea loca ubi voces *Juſti* & *Juſtitiæ* de *hominibus* uſurpantur. Quorum primus extat *Deut. VI.* 25. *Et juſtitia erit nobis, ſi obſervanter fecerimus cuncta hæc præcepta, coram Jehova Deo noſtro, quemadmodum præcepit nobis.* Græci Seniores vocem juſtitiæ interpretantur ἐλεημοσύνην. Quos ſequuntur alii. Sed *Juſtitia* hic accipi poteſt vel pro *Juſtitia operum*, quæ Iſraelitis propoſita fuit, non ut iis ſpes fieret ex operibus propriis, ſed ut tenerent δικαίωμα τȣ̃ νόμȣ quod implendum ſupponitur per ſponſorem, ut ſalvo legis Jure fiat illis ſalus; vel pro *opere Juſto congruente cum Dei lege*, aut potius pro *argumento Juſtitiæ* quo probarent ſe Jus habere ad reſtipulationem fæ-

deralem. Nimirum ſtipulabatur Deus ab Iſraelitis præter fidem in Meſſiam, absque qua Deus peccatoris fieri non poterat, obſervantiam non tantum legis caritatis, ſed etiam legis cærimonialis, in qua erat argumentum fidei ipſorum, absque quo nolebat Deus ipſis Jus ad vitam adjudicare. Quare *Celeberrimus Vitringa Obſ. Sacr. L. IV. C. XI.* §. *XXXV.* hunc locum ita explicat. *Quod Judæi in ſincera obſervantia legis Moſaicæ haberent argumentum, & quaſi materiam ſuæ juſtificationis; Certi quippe actum divinæ juſtificationis, illam ſuam ſinceram Moſaicarum legum obſervantiam certo conſequuturum, & Deum ex illa obſervantia de fide illorum judicaturum eſſe.* Quomodo etiam interpretatur *gloriationem Iſraelitæ Deut. XXVI.* 13. 14. Hac ratione inſignes quidam Theologi & interpretes explicant loca *Deut. IV.* 1. *VIII.* 1. *XXX.*16. *Act.VII.*38. & formulá illam *qui fecerit ea vivet in iis Lev. XVIII.* 2-5. *Coll. Rom X.*5 *Gal III.* 12. Ut ultimo loco ubi hæc formula opponitur fidei, ὁ δὲ νόμος οὐκ ἔστιν ἐκ πίστεως. intelligendus ſit de ea fide quæ reſpicit Chriſtum non amplius ut futurum, ſed ut præſentem, cum qua non ſit miſcenda lex, ut Chriſtiani Judaizantes faciebant. Quorum objectationi ἀλλ᾽ ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς reſpondeat Apoſtolus *v.* 13. Χριστὸς ἡμᾶς ἐξηγόρασεν ἐκ τῆς κατάρας τοῦ νόμου, γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα. Oſtendens Chriſtum morte ſua hanc legem cum tota maledictione, è medio ſuſtu-

ſuſtuliſſe. Et ut loca quæ negant Juſtificationem & vitam ex operibus legis *Rom.* III. 20. *Gal.* III. 21. &c. agant de lege in ſe conſiderata absque fide in Meſſiam quomodo Iſraelitæ ad conſilium Dei non, ut oportebat, attendentes, fædus ſinaiticum amplexi ſunt ut fædus operum, quærentes juſtitiam non ex fide, ſed quaſi ex operibus legis juxta Pauli doctrinam *Rom.* IX. 31. 32. Secundus locus eſt *Deut.* XXIV. 13. *omnino reſtituito ei pignus ejus cum occidit ſol, ut cubans in veſte ſua benedicat tibi. Quod tibi erit juſtitia coram Deo tuo*, LXX. vocem *Juſtitiæ* hic etiam reddunt per ἐλεημοσύνην. Et multi intelligunt *benignitatem* & *eleemoſynam*. Sic *Junius* & *Tremellius* in notis ſcribunt. *Tibi erit juſtitia, id eſt, imputabitur tibi adeo pro eleemoſyna, quæ paſſim in ſcripturis juſtitia dicitur.* Sed ſignificatio vocis צדקה pro eleemoſyna non videtur eſſe antiquæ auctoritatis & divinæ originis, ſed Phariſæorum demum aliorumque heterodoxorum ſuperſtitione, & ſequiorum temporum vitio introducta, quando opinio de operum meritis apud Judæos invaleſcebat, & a phariſaicis doctoribus propugnabatur, qui eleemoſynis maxime juſtificandi virtutem & ſalutem tribuebant. Vide *Ligtfootum in Hor. Heb. ad Matth. VI. 1.* Sic Clar. *Prideauxius Not. 3. ad Hilc. Mat. An. C. X. §. 1.* ſcribit. *Vox enim* צדקה *proprie & primario tantum Juſtitiam ſignificat, nec aliquo alio ſenſu unquam in ſacris legitur; cum ve-*

*ro eo tempore, quo Talmudici conſtitutiones ſuas de Eleemoſynis tradiderunt, Lingua Hebræa vocem non ſuppeditaret, quæ eas proprie ſignificaret, ob defectum, quem tum, utpote poſt exciſas Hieroſolymas diſſipatamque gentem, paſſa fuerat, vocem* צדקה *ob convenientiam, quæ inter Eleemoſynarum largitionem & juſtitiam intercedit, ad eas ſignificandas aſſumebant (juſtum enim eſt pauperibus ſuccurrere, maximumque Viri Juſti inſigne eſt) & hinc primum obtinuit, ut hæc vox æque Eleemoſynas ac Juſtitiam ſignificaret.* Alii Viri doctiſſimi exiſtimantes vocem צדקה jam ante illa tempora pro *eleemoſyna* acceptam eſſe, hanc ſententiam probare quidem conantur ex iis ſcripturæ locis, ubi hac notione veniat & ex auctoritate LXX. Interpretum, qui hanc vocem per ἐλεημοσύνην ediderunt. Quin & ex libro Tobiæ *Cap.* II. 14. IV. 8. 9. 10. 11. XII. 9. Verum in examine illorum ſcripturæ locorum, manifeſtum fiet, nullam nos cogere neceſſitatem vocem *Juſtitiæ* hac ſignificatione ſumere. Translatio quoque græca non uno eodemque tempore tota, ſed diverſis temporibus & a diverſis hominibus quique erroribus obnoxii fuere, confecta eſt. Quare non exigua aliquando græcum inter & Hebræum codicem reperitur diſcrepantia. Et librum Tobiæ quod attinet, non conſtat quando conſcriptus ſit, neque opus eſt *juſtitiam* cum *eleemoſyna* confundere, cum commode ſatis diſtingui poſſunt. Etſi Juſtitia pro eleemo-

ſyna

ſyna ſumatur, non tamen ſequeretur eam ſignificationem divinæ eſſe originis, quandoquidem liber Tobiæ apocryphus eſt. Sed quicquid ſit de origine ſignificationis vocis צדקה pro *eleemoſyna*, certum nobis eſt illam heic ſumi vel pro *opere Juſto* quod Deus comprobat & remuneratur. Quomodo *Pineas* factum ſuum ad juſtitiam imputatum eſſe dicitur *Pſ.* CVI. 30. 31. hoc eſt judicatum eſt eum rite atque ordine feciſſe, & propterea præmio dignum eſſe, quare Deus ei & ſemini ejus ſacerdotium perenne, & fædere pacis perpetuum duraturo, addixit *Num.* XXV. 11. 12. 13. Quare non male ſcripſit *Vatablus. Probabit opus tuum tamquam bonum & Juſtum*, & *Grotius. Hoc pro re magna Deus ducet.* Vel pro argumento Juſtitiæ & juris ad reſtipulationem fœderalem.

§. IX. Tertius locus eſt *Pſ.* XXIV. 5. *is reportat benedictionem a Jehova & juſtitiam a Deo ſalutis ſuae.* Septuaginta Interpretes vocem צדקה vertunt ἐλεημοσύνην. *Vulgatus*; *Miſericordiam.* Quae verſiones a multis probantur. Sed juſtitia hic optime ſumi poteſt vel pro *juſtitia & jure ad civitatem coeleſtem* conferendo & exſpectando a *Deo ſalutis*: hoc eſt, Meſſia ſponſore, de quo agitur *v.* 7. vel pro *juſtitia inhærente* ejusque declaratione. Quartus locus eſt *Pſ.* CXII. 9. *Diſpergit, dat egentibus; Juſtitia ejus permanet in aeternum*, quo reſpicit Apoſtolus 2. *Cor.* IX. 9. Καθὼς γέγραπται ἐσκόρ-

ἐσκόρπισεν, ἔδωκε τοῖς πένησιν ἡ δικαιοσύνη αὐτοῦ μένει εἰς τὸν αἰῶνα. *Chryſoſtomus* vocem *juſtitiae* hic exponit per φιλανθρωπίαν. Et multi recentiores interpretes exponunt vel de *beneficentia*, vel de *eleemoſyna*. Sed nihil cauſae videmus cur notionem *Juſtitiae* non retineamus, illamque exponamus vel de *omni opere juſto*; quomodo dixit Apoſtolus *2. Cor.* IX. 8. Deum eſſe potentem, omnem ipſius gratiam in ipſos abunde conferre, ut in omnibus ſemper omnem ſufficientiam haberent, in omni bono opere abundantes. Probans porro talem eſſe divinam benedictionem in eos, qui liberaliter in pauperes contulerint v. 9, vel pro *Juſtitia Chriſti fide apprehenſa* & *jure* reſtipulandi promiſſa bona foederalia. Qua ſignificatione videtur capi eadem haec phraſis *v.* 3. de reverente Jehovam & mandatis ejus valde delectante, uſurpata. Nam juſtitia diſtinguitur ab opibus & divitiis temporalibus. Nec hujus phraſeos alia hic vis eſt, quoniam pſaltes ab operibus bonis in genere tranſit ad opus beneficentiae & liberalitatis in ſpecie. Praeterea certum eſt juſtitiam fidei connexam eſſe cum vera beneficentia & liberalitate quae Deo accepta eſt, & per illam valide demonſtrari, ut in ea ſit argumentum Juſtitiae, quod credentes habent in Jehovah, quod nunquam ab ipſis auferetur, ſed in aeternum manebit. Conferatur *Cl. Alphenus* in commentario Analytico ad *2. Cor.* IX,

IX. 9. Quintus locus eſt *Prov.* XI. 8. *Improbus comparat praemium falſum, ſerentis vero Juſtitiam merces eſt fida.* Ubi non eſt neceſſarium vocem *juſtitiae* exponere per *Eleemoſynam*, quandoquidem Juſtitia commode ſignificabit vel *juſtitiam fidei* vel *juſtitiam* erga proximum, quae hic opponitur impietati. Sextus locus eſt *Prov.* XXI. 21. *Qui ſectatur juſtitiam & benignitatem; conſequetur vitam, juſtitiam & honorem.* Multi per Juſtitiam intelligunt *beneficentiam erga* alios, cum tamen ab ea diſerte diſtinguitur. Intelligamus ergo per *juſtitiam exercitium* juſtitiae erga proximum. *Nam qui hanc ſectatur conſequetur etiam juſtitiam. Nam quemadmodum ipſe aliis ſuum tribuit ita alii etiam ipſi ſuum tribuent. Chriſtus etiam dicit. Qua menſura metimini, ea metientur vobis alii, ut bene Doct. Lavaterus.* Septimus locus eſt *Jeſ.* I. 27. *Zion judicio redimetur, & reduces ejus Juſtitia.* LXX. vocem *Juſtitiae* reddunt per ἐλεημοσύνην. Et *Chryſoſtomus* habet μετὰ ἐλεημοσύνης. τοῦτ' ἐστι πολλῆς τῆς φιλανθρωπίας *Cum eleemoſyna, hoc eſt, per multa erga homines benignitate.* Sed quia Juſtitia hic ſpectatur ut cauſa redemptionis & jungitur cum judicio, intelligenda eſt Juſtitia, quae fluit ex judicio Dei in Chriſtum ut vadem pro peccatis electorum ſatisfacientem, & redemptionis pretium merentem. Conferatur *Clar. Vitringa.* *Octavus* locus eſt *Jeſ.* LIV. 17. *Haec eſt haereditas ſervorum Domini, & ju-*

*ſtitia eorum a me, dicit Dominus.* Vox *Juſtitiae* hic non ſignificat *favorem, gratiam* & *beneficentiam*, ſed juxta contextum *Juſtitiam fidei* & *jus* quod habent credentes ut ſervi Domini, quo omne inſtrumentum adverſus eos formatum non proſperabitur, & quo omnem linguam quae cum eis conſiſtet in judicio condemnare poſſunt. Nonus locus eſt *Jeſ.* LVI. 1. *Sic ait Jehova, obſervate Jus & exercete juſtitiam. Juſtitiam nonnulli* exponunt de *caritate, benignitate, munificentia* ac *liberalitate erga egenos.* Sed nihil eſt neceſſe meo judicio ut vox haec ita coarctetur. Cum optime exponi queat de omni juſtitia a Deo imperata. *Decimus* locus eſt *Jeſ.* LVIII. 8. *Et anteibit te Juſtitia tua.* Vox *Juſtitiae* hic non deſignat *bonitatem* ſed *Chriſtum Juſtitiam noſtram & jus ad bona foederalia* per reſtipulationem foederalem. *Undecimus* locus eſt *Dan.* IV. 27. *peccata tua juſtitia abrumpe & iniquitates tuas gratia erga afflictos.* LXX. vocem Juſtitiae vertunt ἐν ἐλεημοσύναις. *Vulgatus* etiam habet eleemoſynas. Et multi Interpretes interpretantur *clementiam & beneficentiam* Rege dignam. Sed dicimus cum *D. Gejero, Quid opus eſt inuſitatiorem arripere prae uſitata ſignificatione, cum diſerte inſuper ſubſequatur beneficentia.* Juſtitia ergo hic eſt virtus qua jus & aequum in ſe inque aliis firmiter debebat ſervare Rex Nabuchodonozor. Hac utique non minus quam beneficentia erga afflictos,

pote-

poterat criminum ſuorum ſeriem abrumpere, & conſequi promiſſam propagationem felicitatis temporalis, qualem ante in regno habuit. Eſt enim Juſtitia Reipublicae ſuſtentaculum uti vocatur ab *Imperatore Leone Novell. Leon.* LXIII. Hinc multi reges ac principes a juſtitia cujus fruendae cauſa conſtituuntur, denominati ſunt & *Juſti* titulum ſibi adſcripſerunt. *Duodecimus* locus eſt *Hoſ.* X. 12. *Seminate vobis in juſtitia*, hoc eſt ſecundum nonnullos *largiter*, *copioſe.* Cum tamen diſtinguatur a *beneficentia.* Quare optime accipietur de *juſtitia* in lege mandata, oppoſita *improbitati.*

§. X. Superſunt etiamnum duo loca N. T. a nobis examinanda. Prior eſt *Matth. I.* 19. Ἰωσὴφ δὲ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς, δίκαιος ὢν, καὶ μὴ θέλων αὐτὴν παραδειγματίσαι, ἐβουλήθη λάθρα ἀπολῦσαι αὐτήν. Vox δίκαιος patribus & aliis doctiſſimis viris compluribus eſt *miſericors*, *lenis*, *aequus*, *clemens bonus*, *pius*, *honeſtus.* Sed dicimus cum *Doct. Ligthfooto Hor. Heb. in h. l.* *Non opus eſt ut vocem* δίκαιος *cruciemus*, *ut ſenſum manſuetudinis*, *aut clementiae inde extorqueamus*, *quod faciunt*, *quam multi*; *Nam diviſim conſtructis verſiculi clauſulis*, *patebit ſenſus clarus*, *mollisque ſatis.* *Joſephus cum eſſet juſtus*, *non potuit; non voluit adulteram ferre; at nolens tamen* παραδειγματίσαι, *clemens cum eſſet*, *atque uxorem amans*, *voluit eam dimittere.* Quae ſententia hac ratione firmari poteſt,

quod particula καὶ poſita ſint inter δίκαιὸς ὢν & μὴ θέλων, quae videtur indicare aliud elogium Joſepho tribui. Cum alias ſi verba δίκαιὸς ὢν referenda eſſent ad illa μὴ θέλων αὐτὴν παραδειγματίσαι &c particula καὶ abeſſe deberet. Confer *Cl. Alphenum* ad *Dan.* IX. 16. Quamquam etiam cum *Cl. Ligtfooto Harm. Evangel.* p. 281. 282. dici poſſet Joſephum in hoc caſu nihil quicquam contra legem feciſſe, cum illa tantum rigorem non exigebat. *Ultimus* tandem locus eſt *Matth.* VI. 1. προσέχετε τὴν δικαιοσύνην ὑμῶν μὴ ποιεῖν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων. Doctiſſimi quidam viri per δικαιοσύνην hic intelligendam cenſent ἐλεημοσύνην. Addentes patres primorum ſeculorum, Interpretem Latinum & Syrum patrocinari huic lectioni δικαιοσύνης. Et in Codicibus minoris auctoritatis & antiquitatis inſertam nunc eſſe vocem ἐλεημοσύνης. *Clar. Millius* non dubitat quin Matthaei *Tſedakab* ſic reddiderit hoc loco interpres; & ἐλεημοσύνην e margine codicis cujusdam intextum irrepſiſſe. Verum 1. pleroſque codices habere ἐλεημοσύνην teſtantur *Eraſmus, Beza, Pareus,* de *Dieu* aliique bene multi. II. Ita etiam legere Chryſoſtomum & Theophylactum monet *Eraſmus,* III. Hiſce codicibus adſtipulari affirmat de *Dieu,* Verſiones Arabis, qui habet *miſericordias veſtras*; Æthiopis, *Miſericordiam veſtram.* Immo & *Syri ad eleemoſynam veſtram*, cum

ad

ad *Juſtitiam veſtram* dicerent alio modo. IV. Hinc videtur latinam verſionem corruptam eſſe a ſciolo aliquo, qui *Juſtitiam* poſuit pro *eleemoſynam.* V. Dicimus cum *Doct. Pareo patrum latinorum ſcripta a librariis eſſe corrupta, vel hoc indicio eſſe poteſt, quod cum graecae lectionis non eſſent ignari, nemo tamen eorum diverſitatem notaverit.* VI. Obſervandum eſt, ſi unquam Matthaeus evangelium Hebraicum ediderit, & vel ab ipſo vel alio in Graecum ſermonem translatum ſit, hoc tamen certum eſſe in communem eccleſiae uſum illud non fuiſſe evulgatum, quandoquidem hodie nullibi invenitur; neque idem eſſe potuiſſe cum illo Nazarenorum, quod Hieronymus de Hebraeo in graecum transfudit ſermonem, quippe quod variis & ineptiſſimis fabulis, textui graeco contrariis refertum erat. VII. Denique lectionem vocis ἐλεημοσύνης firmat & probat verſus ſequens ſecundus ubi eadem legitur.

II.

# *Jacobi Friderici* REIMMANNI,

## Eccleſiarum Hildeſienſium Superintendentis,

## *de* VALLE JOSAPHAT *Suſpiciones.*

Συνοψις.

§. 1. Cauſæ obſcuritatis hujus phraſeos. §. 2. Alluditur eadem ad Joſaphati ævum, §. 3. Quo Deus luculentum juſtitiæ ſuæ edidit ſpecimen. §. 4 Quod patet & 2. Chronic. XX. & pateret clarius ſi extarent Jehu Annales Judaici. §. 5. Hoc factum in valle ad clivum Tzitzi. §. 6. Quæ inde dicta vallis Joſaphat. §. 7. Ratio declinationis à verſione Germanica. §. 8. Quid ſit vallis Joſaphat in Joële. §. 9. Quomodo hoc oraculum impletum.

§. 1.

V*Allis Joſaphat* qui mentionem fecerit in SS. præter Joëlem novimus neminem. Et hoc eſt primum, quod hanc appellationem reddit δυσνόητον, Siquidem omnium Scriptorum *idiotiſmi* ſunt intellectu difficiles. Tum duabus ſolummodo vicibus hæc phraſis in Joëlis volumine occurrit. Et hoc eſt ſecundum, quod ean-

eandem facit ambiguam; Cum eo intricatior dictio ſemper ſit quo eſt inſolentior. Et tandem iſtud quoque aliquam interpretibus offundit nubeculam quod altum in Hiſtoria juxta ac Geographia Ebræorum veterum de valle, quæ & Joſaphati habuerit vocabulum, eſt ſilentium. Adde quod nec iſtud ſatis in aprico eſt poſitum, quo tempore & loco, & qua occaſione Joëlus ſit vaticinatus.

§. 2. Interim vero videtur ſimile, Joëlis ævo hanc rationem loquendi apud Judæos fuiſſe uſitatam, & poſtea rurſus abiiſſe in deſuetudinem. Idque propterea, quia propheta eadem tanquam uſitata & omnibus nota utitur, & cæteri, qui poſt eundem vixerunt Scriptores Sacri omnes ſe ab ea abſtinent, utut oportunam ſæpius habuerint occaſionem eandem uſurpandi & in argumento ſimili adhibendi. Et ſi hoc ex ea exſculpi non poteſt, Joëlem Joſaphati regis tempeſtate vixiſſe, hoc tamen elici exinde putamus poſſe, eum floruiſſe poſt Joſaphati tempora & his ipſis verbis ad Joſaphati ævum alluſiſſe.

§. 3. Scilicet, patet ex Hiſtoria hujus Herois quæ 2.Chron. c. 17.18.19.20.21. deſcribitur, quam luculentum Deus juſtitiæ ſuæ dederit ſpecimen. Cum enim filii Moab, & Ammon, & cum iis Ammonitæ alii montana heic incolentes (2 Chron. XXI. 1 .) deſertæ Arabiæ proximi & iccrco Arabes dicti Joſepho l. 18. c. 1. Antiquit. Judaic. p. m. 298.

re-

regnum Judaicum invaſiſſent, nullo verbo vel facto laceſſiti,. Deus prece Joſaphati anxia ſolicitatus & ad vindicandum hanc injuriam tum locutionibus aliis tum hac inprimis invitatus אלהינו הלא תשפט בם quæ extat 2. Chron. XX: 12. tanto furore implevit eos, ut mutuis cladibus ſe ipſos conficerent, & ad internecionem delerent.

§. 4. Luculenter hoc tradit Autor 2. Chron. c. 20. à verſ. 1. usque ad finem & vero admodum eſt ſimile Jehu filium Hanani non minus ſplendide hoc Phœnomenon deſcripſiſſe in Annalibus, quos de Regibus Judaicis condidit, quorumque ſolam memoriam hodie habemus reliquam. Ad eos enim tanquam ad uberiores, 2. Chron. c. 20. v. 34. remittimur. Et ſi ſuperſtitarent adhuc, poſſemus fortaſſis obſcuris iſtis vocabulis *Tzitz* & *Jeruel* auroram quandam affundere quæ 2. Chron. 20. v. 16. occurrunt & ſemel tantum in univerſa SS. ſunt obvia, & Geographis ad unum omnibus tabulisque geographicis ſunt incognita, utut ab earum diſtincta cognitione diſcuſſio hujus argumenti quam maximè dependeat.

§. 5. Diſerte enim Jachaziel φερόμενος ἀπὸ πνεύματος ἁγίου hoc prænunciat l. c. v. 14. ſeq. fore ut hoſtes per clivum Tzitzi deſcenderent, & Joſaphatus rex eodem offenderet, in extremitate vallis in fronte deſerti Jeruelis. Et tum non ipſum dimicaturum, ſed Deum pro ipſo, & eundem cum exercitu tantummodo

con-

contemplaturum hoc ſpectaculum, & ſtragem ſtupendam in hoſtibus editam. Quod oraculum etiam poſtea eventu comprobatum eſt. Rex enim per ſolitudinem Thecoæ digreſſus, & ad locum altiorem delatus, unde tanquam de ſpecula vallem montis Tzitzi & vaſtitatem Jeruelis contueri poterat, univerſam hanc planitiem cadaveribus videbat repletam, & hoſtes in valle jam percuſſos, & ad internecionem usque deletos.

§. 6. Quis ambigat hæc prima obſtupeſcentis Regis verba fuiſſe שפט יהוה, *Deus ultus eſt* in hoſtibus quam nobis intulerunt injuriam. Et inde huic valli adhæſiſſe vocabulum ut dicta fuerit עניק יהוה שפט & per craſin quæ frequens Judæis עניק יהושפט. Hoc enim precatus erat quam maxime Jehoſchaphat, ut Deus ferociam harum gentium vindicta juſta compeſceret. Delectati etiam procul dubio Judæi dictione vallis Jehoſchaphat, quod ea ſupplicationi regis & facto divino accurate reſponderet, & ipſam laudatiſſimi ſui principis appellationem, ſimul exprimeret. Et inde nomen *vallis Joſaphat* habuit exordium.

§. 7. Nec moveat hoc quendam, ſi viderit hanc narrationem noſtram in quibusdam nonnihil declinare à verſione germanica. Nos enim fontes potius, quam rivos in hac cauſa peroranda ſectandos eſſe cenſuimus. Et hinc verba verſiculi 15. capitis XX. Siehe ſie ziehen am Ziz herauff und ihr werdet ſie antref-

treffen am Schilff in Bach für der Wüſten Jeruel, ad mentem Scriptoris Sacri ita tranſtulimus; Siehe ſie werden an der Höhe ſich herauf ziehen und ihr werdet ſie antreffen am Ende des Thals vor den Eingang der Wüſten Jeruel. Et v. 24. l. c. da aber Juda gen Mizpa kam an der Wüſten; h. m. da aber Juda auf die Höhe kam gegen die Wüſten; Hic enim verus & genuinus verborum Ebraicorum ſenſus eſt, & hic etiam rationi rerum & locorum eſt aptior & convenientior.

§. 8. Atque ad hanc Tragœdiam alludit Sanctus Dei Spiritus Joelis III. v. 2. ubi ait, *Congregabo omnes gentes & deducam eos in convallem Jehoſchaphati.* Et v. 12. *Et citabuntur & aſcendent gentes iſtæ in convallem Jehoſaphati.* Hoc enim idem eſt ac ſi dixiſſet. Ego efficiam, ut gentes mutuis cladibus ita ſe conficiant, prout Moabitæ, Ammonitæ & montanorum Seiriticorum incolæ tempore Jehoſchaphati in valle Tzitzica ſe confecerunt. Quæ enim vallis Jehoſchaphati dicitur l. c. ea v. 14. (In Ebr. v. 19.) appellatur vallis conciſionis עמק החרש à ſemine רש unde radices הרש רשש &c. poſtea ſunt natæ, adeoque hac voce vallis notatur ejusmodi, in qua gentes ſemetipſos in fruſta ſint diſcerpturæ.

§. 9. Hoc eo tempore futurum innuit Supremum Numen, quo Judæi ex captivitate Babylonica ſint egreſſuri. Joel. c. 3. v. 1. Et hoc etiam vaticinium eventu ita compro-

ba-

batum eſt. Etenim Aſſyrii, qui terram Iſraelis deſolatam fecerant 2. Reg. XV. v. 29. ſeq. & c. XVII. v. 23. ſeq. à Babyloniis poſtea ſunt exciſi, qui antea habuerant ſubditos in evertenda Peræa, Galilæa, & Samaria adminiſtros. Babylonii autem, qui Judæam expilaverant, à Medis ſunt confecti, h. e. ab iis quorum ope adjuti Judæorum regnum ad vaſtitatem vocaverant. Quod poſt Jeſaiam c. 13. 17. luculenter adumbravit Jeremias toto capite 51. Ubi & inter alia v. 46. ſcribit, *fore dominatorem terræ contra dominatorem*, plane ut in regno Iſmaëlitico & valle Jehoſchaphati, in qua rupto inter gentes fœdere, & orta immani rabie ſocius ſocio violentas manus intulit, frater fratri, ſocer genero. Et hoc, ſi quid judicamus, vult Joelus l. c. ubi Deum inducit loquentem, *Congregabo omnes gentes* (ſcilicet ut quæ Judæis fuerunt oneri) & *deducam eos in convallem Jehoſchaphati.*

III.

# *Stephani* VITI,

## In Illuſtri Carolino, quod *Caſſellis* Hasſorum eſt, in Theologia naturali & Ethica Profesſoris Ord.

## Schediaſma,

**In quo argumenta, quibus vir celeb. *Joh. Chriſtianus* LOERS, S. T. D. & Prof. in Academia Duisburgenſi Ord. CORPORA etiam ANGELIS vindicatum ivit, ad rationis trutinam modeſte exiguntur.**

## ARGUMENTUM.

§. 1. & 2. Oſtenditur occaſio hujus Schediaſmatis, controverſiæque momentum. §. 3. & 4. Neque a priori, neque a poſteriori Angelorum exiſtentiam ex ratione demonſtrari poſſe. §. 5. Unde igitur tantus omnium fere populorum de Angelis conſenſus derivandus videatur. §. 6. Sententiæ Angelis corpora vindicantis antiquitas, deque ea re ſententiæ Judæorum. §. 7. & 8. Gentilium, §. 9. Patrum nobis ὁμοφρονων. §. 10. Error plerorumque patrum, quibus auctor uſus eſt teſtibus §. 11.

§. 11. Quamque auctoris cauſæ horum teſtimonia magis obſint, quam proſint. §. 12. Male auctorem noſtram ſententiam ab Ariſtotele derivare: rectius nos Patrum Angelis corpora adſcribentium ſententiam ad Judæos, Pythagoræos, Platonicos referre. §. 13. & 14. Finem operum Dei non eſſe extra Deum quærendum, adeoque Deum ſalvo hoc ſuo fine videri aut ſola potuiſſe producere corpora aut cum iis mentes quidem, ſed omni corporum cognitione deſtitutas. §. 15. 16. 17. Tres alii modi declarantur, quibus Angeli longe facilius, quam per proprium quoddam corpus, aliorum corporum cognitionem conſequi poſſint. §. 18. Neque recte Angelorum finem proprium, proximumque a nobis conſtitui, neque eum, ſi conſtituatur, nobis adverſari poſſe. §. 19. Neque Angelos propterea aut cæcos, mutos, ſurdos, aut nobis imperfectiores dicendos: neque ejusmodi diverſum ab auctoris mente nexum vel corporum, vel Angelorum, vel Dei perfectionibus quicquam derogare. §. 20. & 21. Ea ad examen revocantur, quæ auctor ejusmodi diverſo nexui opponit. §. 22. Reliqua auctoris argumenta diluuntur. Explicantur loca Matth. XXII: 24-32. Luc. XXIV: 29. 1. Cor. XIII: 1. §. 23. Angelorum & noſtra ex reſurrectione, quæ auctor fingit, corpora & rationi & ſcripturæ videri adverſari. §. 24. Quæ auctor ad ea diluenda, quæ ſibi opponi poſſe arbitrantur, adfert, accuratius expenduntur. §. 25. Temere auctorem exiſtimare ex ſua ſententia quam ex noſtra, felicius plurimas difficultates expediri, & plus lucis affundi aliis veritatibus. §. 26. Concluditur hæc diſputatio.

§. I.

CUm mihi nuper ab amico, cui plurimum tribuo, doctiſſima clariſſimi LOERSII (a) diſſertatio theologica de *Angelorum corporibus* eo conſilio mitteretur, ut quæ mihi de ea viderentur, in hac bibliotheca exponerem: eo facilius promtiusque hunc qualemcunque laborem ſuſcepi, quo illuſtrius argumentum videbatur, quoque minus honeſte me id negare petenti amico poſſe arbitrabar. In ea ego quidem ſum ſententia ex ratione nihil certi demonſtratique adferri poſſe, ſed conjecturis tantum contineri, quicquid de hoc argumento ex ratione dici poſſit. Unde ſine ulla heterodoxiæ ſuſpicione exiſtimari hac de re id omne poſſe puto, quod cum iis facile conciliari poſſit, quæ de illuſtri hoc argumento S. Scripturæ auctoritate cognoſcimus. Itaque hac conditione ſalvo fidei fundamento ſentire cuivis quidlibet licere exiſtimo. Licet igitur illorum ſententia mihi nunquam non probaretur, qui Angelos ἀσωμάτους arbitrantur: eos tamen facillime quoque fero, qui cum veterum pleriſque, recentioribusque Zanchio, Geulingio, illuſtri Leibnitzio, doctiſſimo hujus diſſertationis auctore, aliisque ſua quoque Angelis propria atque perpetua corpora tribuunt. In eo igitur omnis hic meus labor verſabitur, non ut inſignis ali-

cu-

(a) Edita ea eſt, & publice ventilata Tuiscoburgi Glivorum d. 28. Junii 1719.

cujus erroris, nedum hæreſeos clariſſimos hujus ſententiæ vindices arguam, ſed tantum, ut Cl. Loërſii argumenta accuratius expendam, quamque parvum mihi ponderis ad ſententiam, quam tuetur, confirmandam adferre videntur, modeſte eaque ratione demonſtrem, quæ illos decet, quibus præter veritatis cognitionem in ejusmodi diſputationibus nihil propoſitum eſt. Quod ut eo facilius feliciusque conſequar, ipſius doctiſſimæ hujus diſſertationis veſtigia premam.

§. 2. *Ad §. 1. & 2.* In iis ego ſum, qui nihil in hoc genere qualemcumque hominum auctoritatem valere arbitrantur, ſed unius & ſcripturæ & rationis momenta & quærenda eſſe exiſtimant & ſequenda. Nihil enim tam temerarium, nihilque tam indignum eſt ſapientis viri gravitate atque conſtantia, quam quod non ſatis explorate perceptum ſit, & cognitum, ſine ulla dubitatione propterea tantum tueri, quod plurimos eadem ſentire intelligas. Itaque diu jam eſt, ex quo divinum illud Juſtini & Philoſophi & Martyris ex prima (quam vulgo ſecundæ loco habent) apologia præceptum ſymboli loco mihi ſelegerim. Τὺς κατ' ἀλήθειαν εὐσεβεῖς, καὶ φιλοσόφους μόνον τ' ἀληθὲς τιμᾶν καὶ στέργειν ὁ λόγος ὑπαγορεύει παραιτουμένους δόξαις παλαιῶν ἐξακολουθεῖν, ἂν φαῦλαι ὦσιν. *Ratio hortatur, ut qui vere pii (Theologi) & Philoſophi ſunt ſolam veritatem magni faciant, & ament, nolintque veterum*

*ſententias, ſi pravæ ſint, ſequi.* Quæ cum ſentiam, ſi quanta confidentia doctiſſimus hujus diſſertationis auctor, tanto etiam argumentorum pondere ſuæ ſententiæ cauſam egiſſet: neminem profecto vir clariſſimus ſentiret qui me facilius ab ea ſententia, quæ hodie communiter celebratur, divortium faceret. Licet igitur ultro Clariſſimo Auctori largiar, nihil vel detrimenti vel utilitatis accedere orthodoxiæ puritati, quicquid de Angelorum corporibus ſentias: ita tamen comparata eſſe doctiſſimi viri, quibus utitur, argumenta me demonſtraturum puto, ut non tantum ejus ſententiam non demonſtrent, ſed ne vero quidem noſtra ſimiliorem reddant.

§. 3. *Ad §. 3.* Ut vero eo accuratius & quæſtionis atque controverſiæ noſtræ momentum, & quid de ſententiarum circa Angelos divortiis, atque argumentis, quibus quæque ſententia nititur ſentiendum poſſit conſtitui: altius paulo totum hoc argumentum repetendum puto. Quod ad Angelorum exiſtentiam attinet cum Auguſtino ego plane ſentio, qui ſermone II. in Pſalmum CIII. Angelos eſſe, ait, novimus ex fide. Uti ergo non miror quod cum Sadducæis, & Epicuro (qui apud Diogenem Laërtium L. X. §. 29. Παν, ait, εϛι σωμα. Καθ᾽ ἑαυτο δε ȣκ εϛι νοησαι το ἀσωματον, πλην ἐπι τȣ κενȣ. *Si a vacuo diſceſſeris, incorporeum nihil concipi poteſt*) multi ex gentilibus exſtiterint, qui, ut Caſ-

ſius apud Plutarchum in Bruto pag. 1001. loquitur, πιθανον εἶναι τοὺς δαιμονας, *credibile eſſe dæmones* negarint: ita illorum temeritatem nunquam ſatis mirari potui, qui cum Sacræ Scripturæ qualemcunque adhuc auctoritatem vel relinquant, vel relinquere videri velint, Angelos tamen aut exiſtere, aut vera eſſe ὑφιστάμενα negare ſuſtineant. Quemadmodum igitur ex ſacræ ſcripturæ teſtimoniis omni exceptione majoribus nobis de Angelorum exiſtentia certiſſime conſtat: ita facile eo adducor, ut eam neque a priori, neque forte etiam facile a poſteriori ex ratione qua jam utimur, certo demonſtrari poſſe arbitrer. In oraculis quidem Chaldaicis ſect. XI. legitur. Ἡ φυσις πειθει εἶναι τοὺς δαιμονας. *Natura perſuadet eſſe dæmones.* Et Jamblichus de myſteriis Sect. I. cap. 2. Uti deorum ita etiam dæmonum σύμφυτον eſſe putat την κατανοησιν *innatam perceptionem*, ut nobis εἰκασίᾳ ἢ δοξῃ ἢ συλλογισμῷ, *conjectura, aut opinione, aut Syllogiſmo opus non ſit*, quia illorum εἴδησις ἐξ αἰδιου μονοειδης, ἐπι τῇ ψυχῃ συνυπαρχουσα *cognitio ab æterno uniformis ſit in anima noſtra ejus coæva.* Neque ignoro Gentiles ex eo ſe demonſtrare poſſe dæmonum exiſtentiam exiſtimaviſſe, quod, cum admirabilis quædam continuatio, ſeriesque rerum ſentiatur, ut alia ex alia nexa, & omnes inter ſe aptæ, colligatæque videantur, tantumque ſit inter Deum & homines intervallum, dæmones ad ſuſtinendam

hanc rerum omnium conjunctionem tanquam μεταξυ θεȣ τε και θνητȣ non poſſint non exiſtere. Ex hac ipſa ratione Plato in ſympoſio pag. 1194. Το δαιμονιον ἑρμηνευον, και διαπορθμειον θεοις τα παρ᾽ ἀνθρωπων, και ἀνθρωποις τα παρα θεων, *dæmones interpretari, & trajicere humana ad Deos, divina ad homines exiſtimat.* Quia θεος ἀνθρωπῳ ȣ μιγνυται, ἀλλα δια τȣτȣ πασα ἐστιν ἡ ὁμιλια και ἡ διαλεκτος θεοις προς ἀνθρωπους. *Deus homini non miſceatur, ſed per dæmones commercium omne atque colloquium inter Deos hominesque conficiatur.* Omnium clariſſime Salluſtius Cynicus, (vel potius Platonicus) Philoſophus περι Θεων και κοσμȣ Cap. 13. Μεγιστης της δυναμεως ȣσης ȣκ ἀνθρωπȣς ἐδει και ζωα μονα ποιειν, ἀλλα θεȣς τε, και ἀνθρωπȣς, και δαιμονας. και ὁσῳ της ἡμετερας φυσεως διαφερει ὁ πρωτος θεος, τοσȣτῳ πλειȣς εἰναι τας μεταξυ ἡμων τε κἀκεινȣ δυναμεως ἀναγκη. παντα γαρ πλειστον ἀλληλων κεχωρισμενα πολλα ἐχει τα μεσα. *Cum Dei maxima ſit potentia, non oportebat eum homines tantum & animalia facere, ſed & Deos, & homines, & dæmones. Quoque magis a noſtra natura primus ille Deus differt, eo plures neceſſe eſt inter nos & illum eſſe virtutes. Quæcunque enim maxime a ſe invicem ſeparata ſunt, ea multa habent media.* Eodem argumento Hierocles, Maximus Tyrius, aliique uſi dæmonum exiſtentiam & neceſſariam, & ex ratione demonſtrari poſſe putarunt? Ab his non multum diſſentire illi videntur, qui

ex eo Angelorum exiſtentiam demonſtrari poſſe arbitrantur, quod τὴν τȣ̃ θεȣ̃ πολυποίκιλον σοφίαν decere Angelorum productionem exiſtiment. Sed quantumcunque his & aliis ejusmodi argumentis alii tribuant; ego tamen uti facile largior ex illis conſequi, Angelorum exiſtentiam rationi non adverſari, & de ea conjicere & ſuſpicari aliquid licere; ita nihil in iis ſentio, quod ad certam evidentemque demonſtrationem facere poſſit.

Quæ vero a poſteriori cum Voſſio Lib. I. cap. 6. de origine & progreſſu idololatriæ deducunt argumenta, a ſpectris ſcilicet, oraculis, magia, portentis, obſeſſisque: ea ego vehementer vereor, ne ita ſint comparata, ut iis vix fidem habere poſſint, qui ſunt emunctiorum narium. Parum enim abeſt, quin ſi non in omnibus, in plurimis tamen ejusmodi rebus valere illud ſapientiſſimum Plutarchi dictum arbitrer de genio Socratis pag. 579. quod doctiſſimus Olearius in erudiſſima diſſ. de eodem argumento docte pariter atque prudenter dictum monet, & Græca Plutarchi ibidem his Latinis reddit. *Dii boni, quam difficile eſt hominem invenire faſtus vacuum & ſuperſtitionis. Alii enim nulla ſua culpa ab ipſa natura ita facti, ut ob cerebri infirmitatem ad omne ſuperſtitionis genus ſint procliviores, ſomnia, ſpectra, aliaque id genus nugamenta ſibi fingunt aſſidue: alii ex Diis chori eſſe, eosque habere magnorum facinorum auſpices videantur, dignitatis auctoritatis-*

que

*que amplificandæ ſtudio talia comminiſcuntur.* Quod quidem ibidem Plutarchus pag. 580. πολιτικοῖς μὲν ἀνδράσιν οὐκ ἄχρηστον ἴσως εἶναι. *Non inutile forte Politicis eſſe exiſtimat,* ὥσπερ ἐν χαλινῷ τῆς δεισιδαιμονίας πρὸς τὸ συμφέρον ἀντισπᾶσαι, καὶ μεταστῆσαι τοὺς πολλοὺς, *ut ſuperſtitione quaſi freno multitudinem compeſcant, & ad utilitatem traducant :* Philoſophiam autem dedecere relictis demonſtrationibus πρὸς μαντεύματα καὶ ὀνειράτων ὄψεις *ad oracula, & ſomniorum viſa* converti. In Dione vero idem omni fere humana laude major Plutarchus iis, qui ejusmodi fabulis nimium tribuunt, ſequentia prudentiſſime opponit pag. 958. quæ Latine exhibemus. *Tametſi non abſque ratione, qui talia negant, perhibent, nemini prudenti occidere dæmonis ſpeciem atque ſimulacrum, ſed pueros & mulierculas, & mente ex corporis imbecillitate captos, quum aliquo tenentur mentis errore, vel intemperie corporis, opiniones alienas atque abſonas admittere, exiſtimando, cum ipſi ſuperſtitioni ſerviant, malum quendam dæmonem in ipſis eſſe.*

§. 5. Non tam igitur ratio, quam traditio omnem de Angelis, dæmonibusque doctrinam ex ſacris literis & ab Hebræis primum ad Chaldæos, Ægyptios, Græcos, & poſtquam egregie apud hos fabulis aucta, confirmataque erat, ad Judæos iterum, Chriſtianosque traduxiſſe videtur. Vere Voſſius loco ſupra citato, *non dubium,* ait, *quin a primis Noachidis per manus traditum ſit, eſſe ſpiritus,*

quo-

*quorum miniſterio utatur Deus in orbe adminiſtrando.* Quid? quod ipſe Plato in Timæo id fateri videtur, quando pag. 1053. hoc argumentum ipſi videtur μειζον ἠ καθ᾽ ἡμας *noſtris viribus majus*, & quando ibidem πειστεον δε, ait, τοις ειρηκοσιν ἐμπροσθεν, ἐκγονοις μεν θεων ὀυσιν, ὡς ἐφασαν, σαφως δε που τους ἀυτων προγονους ειδοσιν. ἀδυνατον οὐν θεων παισιν ἀπιστειν, καιπερ ἀνευ τε εἰκοτων και ἀναγκαιων ἀποδειξεων λεγουσιν, ἀλλ᾽ ὡς οἰκεια φασκουσιν ἀπαγγελλειν, ἑπομενους τῳ νομῳ πιστευτεον. *Priſcis itaque viris hac in re credendum eſt, qui diis geniti, ut ipſi dicebant, parentes ſuos optime noverant. Impoſſibile ſane deorum filiis fidem non habere, licet nec neceſſariis, nec veriſimilibus rationibus eorum oratio confirmetur. Verum quia de ſuis ac nobis rebus loqui ſe affirmabant, nos legem ſecuti fidem præſtabimus.* Et Ariſtoteles cap. 8. Metaphyſicorum παραδεδοται, ait, ὑπο των ἀρχαιων και παλαιων ἐν μυθου σχηματι καταλελειμμενα τοις ὑστερον. *Tradita ſunt* (quæ ipſe de ſphæris ſuis docuit) *a majoribus noſtris, & admodum antiqui, ac in fabulæ figura poſterioribus relicta.* Fuere forte etiam qui quo majorem Regem Deum eſſe norant, eo pluribus ipſum uti ſtipatoribus & Satellitibus voluerint, quorum opera facilius mundum adminiſtraret. Neque etiam defuiſſe videntur, qui, licet ipſi recte ſentirent, ut tamen facilius imperitæ plebi, quæ divinam providentiam cum majori labore atque moleſtia conjunctam arbitrabatur, quam ut cum

ſum-

ſumma Dei beatitudine conſiſtere poſſe videretur, perſuaderent, mundum non forte coiſſe magiſtra, ſed totum qua patet, divino numine verti, ejusmodi Angelorum atque dæmonum multitudinem tradidere, quorum opera Deus uſus facile mundi regimini ſufficere poſſe videretur. Quibus ſi addideris, quod rationi hæc doctrina non adverſetur, quod Dei neque ſapientia, neque potentia, neque majeſtate indigna exiſtimetur, quod vero admodum ſimilis videatur, quod funeſta ſuperſtitio a qua ne optimo quidem cuique facile penitus libero eſſe licet, metusque & ignoratæ effectuum inopinatorum eſſe cauſæ in his plurimum poſſunt, quod magna ſenſuum atque imaginationis vis atque fallacia ſit, quod illud præjudicium inter omnes conſtet, Deum ſolius hominis gratia totum mundum & condidiſſe, & gubernare, quod ſacerdotes, politici, philoſophi ejusmodi traditionibus ex imperitæ multitudinis ſuperſtitione atque credulitate divinam quandam auctoritatem ſuis ſententiis & inſtitutis conciliarint: hæc, inquam, omnia ſi conjunxeris, facile rationem perſpicies, quamobrem licet ex ratione nihil certi demonſtratique in hoc genere adferri poſſit, conſpirans tamen & conflatus omnium populorum de Angelis & dæmonibus conſenſus deprehendatur. Uti igitur, quæ ſacra Scriptura de his tradit ea fide ego complector, quam Deo ejus aucto-

cto-

ctori debeo: ita ex ipſa quoque ratione veroſimile id eſt exiſtimo, alias præter humanas eſſe conditas a Deo mentes, a me tamen hactenus impetrare non potui, ut ea quæ in ſacra ſcriptura de Angelorum miniſterio hominibus deſtinato referuntur, ad naturæ magis regnum, quam gratiæ œconomiam pertinere exiſtimarem. Quo refero, quod epiſtolæ ad Hebræos auctor Angelos cap, I. v. 14. πνέυματα λειτουργικα εἰς διακονιαν ἀποστελλομενα δια τους μελλοντας κληρονομειν σωτεριαν dixerit. Ut niſi divina in ſcriptura auctoritas intercederet, tanta me facilitate negare poſſe arbitrarer, Angelos nobis ſervire, noſtrisque conſulere rationibus, quanta alii adfirmant. Quicquid igitur extra ſacram ſcripturam de Angelicæ naturæ & attributorum modo traditur, id mihi omne videtur incertum & meris tantum conjecturis niti. Quæ mihi cum vera videntur, tum vero ita comparata, ut ex iis noſtræ controverſiæ de Angelorum corporibus plurimum lucis adfundi exiſtimem.

§. 6. Ut vero propius ad noſtræ controverſiæ argumentum accedam: Licet id meæ cauſæ obeſſe videatur, antiquiorem tamen hanc perſuaſionem de Angelorum corporibus eſſe fateor, quam forte ipſi doctiſſimo auctori videtur. Et forte ipſos primos parentes innocentes adhuc idem de Angelis ſenſiſſe triſtiſſimus illorum lapſus docet. Non admo-

dum

dum profecto præclare de Dei & mentium natura ſenſiſſe illos oportet, qui tam facile ſibi perſuaderi paſſi ſunt, ex vetiti fructus eſu ſuſpenſam eſſe veram cum Deo ſimilitudinem, beatitudinemque. In ipſa enim harum rerum ignorantia omnis fere illorum labilitas verſata mihi fuiſſe videtur. Quid deinde fideles Judæi de Angelis ſenſerint, ex eo licet colligere, quod neque Deum ab omni corpore liberum exiſtimarint. Cujus rei argumentum omni exceptione majus ſunt frequentiſſimæ illæ ἀνθρωποπαθειαι και συγκαταβασεις, quibus τοις ἀνθρωποις δι' ἀνθρωπων διαλεγομενος ὁ δεσποτης θεος, τῃ των ἀκουοντων ἀσθενειᾳ λογους μετρει, uti eleganter Theodoret. quæſt. in Geneſ. 20. loquitur. Neque fideles Novi Teſtamenti ab initio aliter ſenſiſſe ipſa ſacra hiſtoria docet. Neque enim aliter facile ſentire poterant, cum Angeli illis ſemper humana ſpecie apparuerint. Quid quod forte ipſam quoque Angelorum totam naturam corpoream uti plurimi primorum patrum exiſtimarunt. Colligere id licet ex Luc. XXIV. 27. Quid de Angelis hac ætate ſenſerint Judæi Joſephus teſtis eſt, qui A. J. Lib. I. cap. 4. Πολλοι, ait, ἀγγελοι θεου γυναιξι συμμιγεντες ὑβριστας ἐγεννησαν παιδας, και παντος ὑπεροπτας καλου. Hinc colligere licet, unde patres cum in genere ſententiam ſuam de Angelorum corporibus, tum in ſpecie de conſuetudine cum mulieribus hauſerint.

Per-

Perpetua deinde hæc ſi non de corporeis Angelis, ſaltem Angelorum corporibus Judæorum fuit ſententia: donec recentiores Judæi a Chriſtianis meliora edocti שכלים הנפרדים Intelligentias ſeparatas admiſerint, quo Deum atque Angelos retulere. Graviſſimum teſtimonium, quod huic meæ ſententiæ perhibet Mardochæus Karæus pag. 27. edit. Wolf. nequeo quin totum hic adſcribam
וגם כן בענין המלאכים -- -- -- -- סברו
קדמוני חכמינו שהם מתלבשים בגשם
ומתנוצצים לענים הגשמיניים לזכי הנפש,
מה שכך האמינו גם חכמי הרבימם אבל באו
חכמינו האחרונים כגון החכם רבינו אהרן
בעל המבחר והחכם רבינו אהרן בעל כתר
תורה קמו והרסו דעתם ואמרו כיה מלאך אי אפשר
שיראה לעינים הגשמיים כי הוא רוחני
ואין לו מחיצרת הגשם: *Ita etiam de Angelis -- -- -- majores & ſapientes noſtri ſtatuerunt, quod corpore fuerint induti & oculis corporeis hominum anima purorum inſtar ſcintillæ viſi ſint. Idem hoc crediderunt etiam ſapientes Rabbanitarum. Noſtri vero ſapientes poſteriorum ſæculorum v.c. ſapiens doctor noſter Aaron auctor libri, qui dicitur Selectus, & ſapiens doctor noſter Aaron auctor libri corona legis, ſurrexerunt, & deſtructa eorum ſententia dixerunt, fieri non poſſe, ut angelus oculis corporeis videatur, quia ſpiritualis eſſentia eſt, neque tegumento corporeo inſtructus.*

§. 7.

§. 7. Cum igitur ab his Chaldæi, Perſæ, Ægyptii, Græci ſuam de angelis dæmonibusq; doctrinam acceperint, mirũ non eſt, quod omnes Gentiles, ſi forte a pauciſſimis diſceſſeris, Angelorum mentibus propria quædam eſſe corpora unanimi conſenſu tradiderint. De Chaldæis conſulendus Stanlejus & oracula Chaldaica, in quibus dæmones αἰσθητοις ἐργοις και σωμασιν ἀμφικεκαλυμμενοι, ὑλαιοι Συνοχεις, τα κακης ὑλης βλαςηματα χρηςα και ἐσθλα &c. *Senſibilibus operibus & corporibus amicti, materiales Synoches, malæ materiæ gemina utilia & bona dicuntur.* Ex Zainte Chaldæo (Non iſtum Zaintem Chaldæum, ſed Perſam fuiſſe temporis ratio oſtendit) Pythagoram dedicíſſe Iſidorus Eretrienſis, & Ariſtoxenus Muſicus referunt δυο δαιμονας εἰναι, τον μεν ȣ̓ρανιον, τον δε χθονιον. και τον μεν χθονιον ἀνιεναι την γενεσιν ἐκ της γης, εἰναι δε ὑδωρ, τον δε ȣ̓ρανιον πυρμετερον τȣ ἀερος. *Duos eſſe dæmones cœleſtem alterum, & item alterum terreſtrem: ex his terreſtrem e terra ſubjeciſſe originem, eſſe vero aquam; cœleſtem autem eſſe ignem aëris participem.* Quid Ægyptii ſenſerint vel ex uno Pythagora licet conjicere: quamvis Jamblichus expoſiturus, ut videri vult, Ægyptiorum myſteria, ut mox videbimus, non alienus ab eorum ſententia fuerit, qui dæmonas ἀσωματȣς credidere. Pythagoræ vero & Platonis hac de re ſententiam omnium clariſſime exponit Hierocles ad aurea carmina, quando ἐςι, ait, πας μεν ὁ λογικος διακοσμος μετα τȣ συμπεφυκοτος αὐτῷ

ἀφ-

ἀφθαρτου σωματος, εἰκων ὁλου του δημιουργου Θεου. *Univerſa creaturarum rationalium diſpoſitio & ſyſtema cum incorruptibili corpore ſibi cognato, Dei totius conditoris eſt imago.* Idem pag. 27. dæmones, quos eleganter monet etiam dici ἀγγελους, ὡς ἐκφαινοντας και διαγγελλοντας ἡμιν τους προς εὐζωιαν κανονας, *quod ab illis vitæ felicis regulæ nobis declarentur atque denuntientur* ex φωτος ὑπαιθρου και καθαρου *ſerena & pura luce editos ſtatuit.* Et pag. 211. την λογικην οὐσιαν συμφυες ἐχουσαν παρα του δημιουργου το σωμα εἰς το εἰναι παρελθειν. ὡς μητε το σωμα εἰναι αὐτην, μητε ἀνευ σωματος. ἀλλ᾽ αὐτην μεν ἀσωματον ἀποπερατουσθαι δε εἰς σωμα το ὁλον αὐτης εἰδος. *Naturam rationalem corpus habentem ſibi congenitum ab opifice datum exiſtere cœpiſſe. Ita ut neque ipſa corpus eſſet, neque tamen corpore careret; ſed ipſa quidem eſſet incorporea, in corpus autem tota ejus forma deſineret.* Uti porro dæmonem definit per ψυχην λογικην μετα φωτεινου σωματος: ita quoque hominis animam deſcribit per ψυχην λογικην μετα συμφυους ἀθανατου σωματος, *animam rationalem conjunctam corpori cognato immortali.* Quod corpus ex Pythagoræ & Platonis mente αὐγοειδες vocat, & a craſſiori corpore noſtro diſtinguit, quando pag. 215. ἀλλα, inquit, δη και τῳ αὐγοειδει ἡμων σωματι προσεφυ σωμα θνητον ὀν. *Lucido noſtro corpori agnatum eſt corpus mortale.* Ex quibus quid ſentiendum ſit de hoc animæ corpore αὐγοειδει immortali, & incorruptibili, cujus ſæpe apud Platonicos men-

mentio ſit, intelligere licet. Cæterum quid Plato de dæmonibus ſenſerit, ex ejus ſympoſio, Timæo & aliis locis prolixe jam alii oſtenderunt. Ea vero omnia Chalcidius, feliciſſimus Platonis interpres in præſtantiſſimo ad Timæum commentario, in hanc dæmonum definitionem collegit: *Dæmon eſt animal rationabile, patibile, æthereum, diligentiam hominibus impertiens.* Animal dici, ait, quia ſit anima corpore utens, æthereum vero ex loco vel ex qualitate corporis ſ. CXXXIV. Ariſtotelem conſtat non admiſiſſe alios dæmones, ſi ab illis diſceſſeris, quos motibus orbium cœleſtium præfecit, quorumque numerum ex Sphærarum, illorumque motuum diſcriminibus æſtimandum docet Metaphyſ. L. XIV. c. 8. Has vero ὀυσιας κινȣσας τας των πλανητων, αἰδιȣς φορας, quas poſtea intelligentias vocavere, tanquam animas quasdam ſuis ſphæris ceu propriis corporibus unitas eſſe exiſtimavit. Unde magnopere errare mihi videntur, qui arbitrantur, Ariſtotelem quos paucos admiſerat dæmones, eos corporibus non conjunctos ſtatuiſſe. Audiamus ipſum Ariſtotelem ex Metaphyſ. L. V. c. 8. Ὀυσια λεγεται τατε ἁπλα σωματα, ὁιον γη, και πυρ, και ὕδωρ, και ὁσα τοιαυτα, και ὁλως σωματα, και τα ἐκ τȣτων συνεϛωτα ζωα τε, και δαιμονια, και τα μορια τȣτων. *Subſtantia dicuntur & ſimplicia corpora, ut terra, ignis, aqua, & quæ talia ſunt, & univerſaliter corpora, & quæ ex his componuntur animalia & dæmonia, ac eorum particulæ.* Omnium

Omnium vero clariſſime auctor librorum περι των ἀρεσκοντων τοις φιλοσοφοις, quos communiter Plutarcho tribuunt L. I. c. 7. de Ariſtole ἑκαςην, ait, οἰεται των σφαιρων ζωον εἰναι συνθετον ἐκ σωματος και ψυχης. ὡν το μεν σωμα ἐςιν αἰθεριον κινȣμενον κυκλοφορικως, ἡ ψυχη δε λογος ἀκινητος αἰτιος της κινησεως κατ᾽ ἐνεργειαν. *Sphærarum quamlibet exiſtimat eſſe animal ex anima & corpore compoſitum, quorum corpus æthereum ſit, ac in orbem circumducatur; anima autem ratio immobilis motum actu efficiens.* Reliqui philoſophi tantum non omnes vel plane cum Democrito & Epicuro, negarunt, ejusmodi dæmones exiſtere, vel Platonem Ariſtotelemve ſequuti ſunt.

§. 8. Licet vero hæc de dæmonum corporibus ſententia communior fuerit atque pervagatior: fuere tamen etiam, qui ſi non omnes, eſſe tamen quosdam exiſtimarint ab omni corpore proprio liberos. Sic ex Stanlejo conſtat Chaldæos præter materiales etiam immateriales quosdam dæmones admiſiſſe. Idem parte XIII. ſect. I. c. 10. ex Plethone in orac. docet, magos atque ex eorum doctrina Pythagoricos & Platonicos conſtituiſſe triplex formarum genus; unum, quod penitus a materia ſecernatur, cujusmodi ſint mentes ſupra cœleſtes; alterum, quod a materia abjungi non poſſit, quod eſſentiam per ſe ſubſiſtentem non habeat, ſed a materia pendentem, qua naturæ corruptibilitate ſoluta, diſſolvatur & pereat. Atque hoc genus to-

tum rationis eſſe expers. Inter illa medium eſſe animum ratione præditum a mentibus quidem ſupra cœleſtibus ea in re diverſum, quod materiæ non conjunctus ſit, ſed contra materiam ſibi adjunctam habeat; & ſit eſſentiæ peculiaris, & vi ſua ſubſiſtentis, itemque indiviſibilis, ut mentes illæ ſupra cœleſtes &c. Jamblichus dæmones ſejunctos ab omni corpore proprio ſtatuiſſe videtur. Vide eum de myſteriis Sect. I. cap. 3. Item capite XX. δαιμονας ἀορατους vocat, και ουδαμως αἰσθησει περιληπτους & ἀφανεις. Sic ſectionis quintæ cap. 10. εἰ γαρ, ait, τι πυ και περικειται τοις δαιμοσι σωμα &c. *Fac dæmones veſtiri corpore &c.* Sicubi vero videatur dæmonibus corpora tribuere, id ſe non alio facere ſenſu ipſe monet, quam quo Deum toti mundo conjunctum docuerit, licet eum expertem omnis corporis exiſtimet. Miror id non animadvertiſſe doctiſſimum Galeum, quem in notis ad hunc locum vide. Qui vero ex eo colligunt Pythagoræos & Platonicos dæmones ἀσωματους admiſiſſe, quod non ratione mentium eſſe dæmones dixerint, illi mihi errare videntur. Præter mortale enim corpus, aliud αὐγοειδες & ἀερωειςον menti tribuerunt corpus quale etiam dæmonum eſſe voluere. Clarius Porphyrius loquitur, quando de occaſionibus probat diſtinctionem incorporeorum in ea quæ a corporibus ſeparata, & in ea, quæ non ſint ſeparata. Philo Judæus libro de con-

fuſ.

fuſ.lingu. Angelos vocat ψυχων ἀσωμαἰων ἱερωταἰον χορον. Maximus Tyrius diſſert. 27. Angelos negat ὁμοπαθεις ἡμιν ἐιναι, και ὁμοφωνȣς, και ὁμογενεις -- ȣ̓ γαρ σαρκες αἱ δαιμονων Φυσεις, ȣ̓δε ὀςα, ȣ̓δε ἀλλο τι σκεδαςον, ἡ λυομενον, ἡ τηκομενον, ἡ δι ἀῤῥεον. *Itidem rebus adfici, quibus nos, eadem voce uti, ejusdemque eſſe naturæ. Neque enim caro, oſſa, & ſanguis, neque aliud quid dæmonum natura eſt, quod disjungi aut diſſolvi aut liqueſcere, aut diffluere poſſit.* Ad quæ Daviſius; Varias dæmonum ſpecies numerabant Platonici, & eorum quosdam ſemper a corporis compedibus nexibus liberos fuiſſe cenſebant. Quod ab Apulejo didicit, qui de Deo Socratis pag. 690. edit. Pariſ. anni 1688. in dæmonibus recenſet ſuperius quoddam, auguſtiusque genus dæmonum, qui ſemper a corporis compedibus, & nexibus liberi certis poteſtatibus curent, quique ſinguli ſingulis hominibus in vita agenda teſtes & cuſtodes additi ſint.

§. 9. Quod ad patrum teſtimonia, quibus plurimum in hoc argumento tribuere videtur clariſſimus auctor, attinet, ita de iis loquitur, ac ſi vel nulli, vel pauciſſimi, iique ignobiliores tantum nobiscum ſenſerint: ſed neque noſtra cauſa omni patrum patrocinio deſtituta eſt, & plures ex iis, quos ſibi ὁμοφρονας laudat, ita & ſenſerunt, & loquuti de Angelis ſunt, ut illorum auctoritas clariſſimum auctorem non multum juvare poſſit. Ex iis, qui nobiscum ſenſerunt, quosdam,

quos mea mihi qualiscunque lectio ſuppeditavit, hoc loco producere, meæ cauſæ intereſſe puto. Auctor quæſtionum & reſponſionum ad Græcos eruditiſſimus, quæ in Juſtini operibus exſtare ſolent, quæſt. II. Ει ἐστιν ἀσωματον, ποθεν δηλον, ὁτι αὐτο ἐφ' ἑαυτου δυναται εἰναι, ὁμοουσιους εἰναι arbitratur τους τε ἀγγελους, και τους δαιμονας *ejusdem eſſentiæ atque ſubſtantiæ, cujus noſtra mens eſt, & angelos, & dæmones eſſe*, adeoque ἐν ἀσωματοις cenſet. Quodſi cum auctore noſtro doctiſſimo ſenſiſſet, vel Angelorum dæmonumque mentes noſtræ menti vel Angelos & dæmones non menti, verum homini dixiſſet ὁμοουσιους. Animam vero noſtram ibidem eleganter definit per πνευμα νοερον, quibus verbis erudite Angelos & mentem noſtram ab iis πνευματι diſtinxit, quæ corpora eſſent. In fragmentis Clementis Alexandrini, quæ exhibuit omni mea laude longe major doctiſſimus Fabricius in Hippolyti T. II. pag. 72. Spiritus ita definitur πνευμα μεν ἐστι λεπτη και ἀυλος και ἀσχηματιστος ἐκπορευτικη ὑπαρξις. *Spiritus eſt ſubſtantia tenuiſſima, materiæ & formæ expers, quæque ſuis ſe actionibus prodit* & pag. 73. Πνευμα δε ἐστι κυριως οὐσια ἀσωματος και ἀπεριγραπτος. ἀσωματον δε ἐστιν ὁ μη συμπεπληρωται σωματι, ἠ οὐ το εἰναι οὐκ ἐστι κατα το πλατος, μηκος και βαθος. *Spiritus eſt proprie ſubſtantia incorporea, & incircumſcrepta. Incorporeum vero eſt, quod non conſtat corpore, vel quod non eſt ſecun-*

dum

*dum longum, latum, & profundum.* Angelorum ſpiritus non crediditſe eruditiſſimum patrem cum corporibus conjunctos, ſed omnem illorum naturam his definitionibus contineri, ex Stromatum Lib. VI. p. m. 642. colligere licet, ubi Angelis non tantum omnia negat organa, ſed ne πνευμα quidem & αερα eſſe vult, quorum motibus nobis quicquam ſignificare poſſint. Eleganter quoque Hippolytus T. I. pag 244. Τοιαυται, ait, ϐσιαι εισιν ἡ τε των αγγελων, ἡ τε των ψυχων των ἐκ σωματων απηλλαγμενων. Ἐπειδη και αμφοτεραι ἑτερογενεις εισι, και αλλοτριαι της ὁρωμενης, και φθειρομενης ταυτης τϐ κοσμϐ κτισεως. *Ejusmodi naturæ natura eſt angelorum, & illam animarum, quæ a corporeis vinculis ſolutæ degunt. Ambæ enim iſtæ naturæ ſunt alterius generis, & diverſæ a creaturis hujus mundi, quæ ſub aſpectum cadunt, & corruptioni obnoxiæ ſunt.* Qui vero eandem naturam Angelis vindicaret ſanctus Martyr, quæ mentium noſtrarum eſt corpori non conjunctarum, niſi eos ſua natura æque ſegregatos a corpore exiſtimaſſet, atque præter naturam hominis noſtræ mentes a morte ſunt. Gregorium Thaumaturgum, Methodium, Gregorium Nazianzenum, Euſebium aliosque conſtat paſſim Angelos vocaſſe δυναμεις και ϐσιας ασωματϐς και νοερας. Ubi quo ſenſu eas α᾽σωματϐς dixerint, adjectum το νοερον docet. Lactantii verba ex divin. inſtit. L. VII, c. 21. digniſſima mihi videntur, quæ hic

tota legantur. *Primum igitur dicimus tantam eſſe Dei poteſtatem, ut etiam incorporalia comprehendat, & quemadmodum voluerit, afficiat. Nam & Angeli Deum metuunt, quia caſtigari ab eo poſſunt, inenarrabili quodam modo, & dæmones reformidant; quia torquentur ab eo, ac puniuntur. Quid igitur mirum, ſi quum ſint immortales animæ tamen patibiles ſint Deo? Nam quum in ſe, nihil habeant ſolidum, & contrectabile, a ſolidis, & corporalibus nullam vim pati poſſunt: ſed quia in ſolis ſpiritibus vivant, a ſolo Deo tractabiles ſunt, cui virtus ac ſubſtantia ſpiritualis eſt.* Quibus plurimum lucis accedere poſſe puto ex Auguſtini Cap. 10. Liberi XXI. de Civitate Dei, ubi poſtquam monuiſſet, quæri poſſe, ſi non futurus ſit ignis gehennæ incorporalis, quomodo in eo futura ſit pœna ſpirituum malignorum: in aliis ſubjicit, *ſi autem quisquam nulla habere corpora dæmones aſſeverat, non eſt de hac re aut laborandum operoſa inquiſitione, aut contentioſa diſputatione certandum. Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi, ſi ſpiritus hominum etiam ipſi profecto incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris & tunc potuerunt corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari? Adhærebunt ergo, ſi eis nulla ſunt corpora, ſpiritus dæmonum, immo ſpiritus dæmones, licet incorporei* (ita enim legendum puto) *ignibus cruciandi: non ut ignes ipſi, quibus adhærebunt, eorum junctura inſpirentur, & animalia fiant, quæ*

con-

*conſtent ſpiritu & corpore; ſed, ut dixi, miris & ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam. Quia & iſte alius modus, quo corporibus adhærent ſpiritus, & animalia fiunt, omnino mirus eſt nec comprehendi ab homine poteſt, & hoc ipſe homo eſt* &c. Quæ Lactantii & Auguſtini teſtimonia ſi commiſeris invicem, facile intelliges. 1. Lactantius tantum abeſſe ut exiſtimarit dæmonibus propria eſſe corpora, ut etiam generalem nexum inter Angelos & corpora negarit, quoniam cum incorporales ſint & in ſolis ſpiritibus vivant a corporalibus nihil pati poſſint, ſolique adeo Deo tractabiles ſint, cujus etiam ſpiritualis ſubſtantia ſit. 2. Auguſtini ætate fuiſſe, qui Angelis corpora propria negarint. 3. Auguſtinum ſuam ſententiam noſtra non veriſimiliorem aut faciliorem exiſtimaſſe. 4. Relinquere adeo ipſum cuique quid velit, hac de re ſentiendi libertatem. 5. Nexum quendam generalem inter Angelos & corpora non propria jam facile conſtitui poſſe, quam quem inter mentes & corpora humana conſtitutum ſentimus. Præcedentibus unum adhuc adjungo Theodoretum quando cum alibi Angelos ἀσωμάτους exiſtimavit, tum vero quæſt. 20. in Geneſin Angeli ipſi audiunt Ἁι ἀσώματοι καὶ ἅγιαι φύσεις -- παντάπασι σωμάτων ἀπηλλαγμέναι, καὶ ἀμιγὲς τὸ ἀόρατον ἔχουσαι. *Corporis expertes, & ſanctæ naturæ, quæ omni ratione ſine corporibus ſunt, & ſine mixtura inviſibilita-*

 *tem*

*tem habent.* In eadem cum his fuiſſe ſententia docet Voſſius Lib. I. cap. 6. de orig. & progreſſu Idolol. Nazianzenum orat. II. de Theolog. & XXXVIII. de natali Chriſti. Gregorium Nyſſenum de vita Moſis. Chryſoſtomum orat. 1. de providentia. Theodoretum in Geneſin quæſt. XXXVI. & orat. III. contra Græcos, Cyrillum in Johannem Lib. II. cap. 10. & duos Scholaſticorum quaſi patres Dionyſium, & Damaſcenum. Præterire autem ſe ait plures alios. His Elmenhorſtius ad Gennadii Marſilienſis librum de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. XII. addit Joh. Cantacuzenum apolog. I. contra Muſulmannos Orat. 2. & 3. in Mahumetem. Baſilium Seleucienſem Orat. VI. in Noëmum. Sedulium in epiſt. Pauli ad Philippenſes c. 2. Bernhardum de conſider. Lib. IV. cap. 9. Damaſcenum de fide Orthodoxa Lib. II. c. 3. 12. & 17. Suidam in voce Ἄγγελος. Bedam de elementis Philoſ. Lib. I. His alii alios addunt. Petavium, qui mihi cum præſenti ad manum non fuit, conſulere nequivi.

§. 10. Ex iis vero, quos tanquam teſtes producuntur, pauciſſimi cum Auguſtino, Fulgentio & recentioribus quibusdam, quos ſequitur doctiſſimus noſtræ diſſertationis auctor, Angelos ex duplici ſubſtantia compoſitos adfirmant, ex ſpiritu ſcilicet incorporeo, & ex corpore. Reliqui ita corpora tribuerunt Angelis, ut nihil ipſis præter

cor-

corpus vindicarint: neque tam Angelos corporibus uti, quum totos corporeos eſſe voluerint. Sic Tertullianus non tantum Angelos & noſtras mentes, ſed ipſum quoque Deum corporeum totum exiſtimavit. *Nihil enim incorporale eſt, niſi quod non eſt*, quæ ipſius verba ſunt, libro de carne Chriſti. Neque mirum auctorem libri de Eccleſiaſticis dogmat. quem Gennadio Marſilienſi tribuunt, quique in Benedictina operum Auguſtini editione in appendice Tomi VIII. reperitur, capite 13. (non 19.) angelos & omnes cœleſtes virtutes corporeas exiſtimaſſe; cum ipſe cap. II. nihil putet incorporeum, & inviſibile in natura credendum, niſi ſolum Deum, creaturam autem omnem corpoream eſſe cap. 12. doceat. A quo diſſentire non potuere, de Angelorum corporibus, quicunque nihil incorporeum credendum putarunt, niſi ſolum Deum, quorum magnum agmen fuiſſe ex Elmenhorſtii ad hunc locum nobis, & maxime ex Petavii T. III. Theolog. dogmatum Lib. I. cap. 2. ubi prolixe recenſentur, conſtare poteſt. Macarius Homilia IV. Ἕκαϛον arbitratur κατα την ἰδιαν φυσιν σωμα εἰναι τυς ἀγγελυς, την ψυχην, τυς δαιμονας, ὀτι καν λεπτα ὠσιν, ὁμ☉ ἐν ὑποϛασει, καὶ χαρακτηρι, ϗ εἰκονι κατα την λεπτοτητα της φυσεως ἀυτων σωματα τυγχανει λεπτα. Sic quem ſibi ὁμοφρονα laudat, Baſilius loco ab auctore clariſſimo citato Angelorum ὐσιαν ἀερεον πνευμα & πυρ ἀυλον ſpiritum aëreum, & ignem

ſub-

ſubtiliorem facit. Cæſarius loco citato Angelos σωματα dicit ὑπαρχειν λεπτα, καὶ ἄυλα. Methodius παν το ἐκ καθαρȣ ἀερ☉, καὶ καθαρȣ πυρ☉ συνιςαμενον συγκριμα Angelis ὁμȣσιον opinatur. Idem de reliquis omnibus; ſi a pauciſſimis diſceſſeris, ſentiendum. Quos adeo tanquam ſibi ὁμοφρονας auctor citare tam non poteſt, quam horum ſententia omni mentis naturæ iniqua atque injuria eſt. Iſti enim omnes forte nobiscum ſenſiſſent, ſi a ſe impetrare potuiſſent, ut quid præter Deum non corporeum exiſtimarent. Ab his vero ſi diſceſſeris plures ex patribus erunt, qui παντaπασι ἀπηλλαγμενȣς παντος τȣ σωματ☉ Angelos nobiscum exiſtiment, quam qui cum auctore vere ſentiant. Ex his autem ipſis alii ſibi non conſtiterunt, cum modo ipſis noſtra, modo clariſſimi Loërſii ſententia videretur veroſimilior: alii vero licet cum auctore potius ſenſiſſe videantur, non tamen noſtram ſententiam cum auctore aut erroris arguerunt, aut vero etiam ſimilem negaverunt. Quæ ex teſtimoniis ſupra citatis cuivis colligere licet.

§. 11. *Ad* §. *4.* & *5.* Quæ uti ignorare nequivit Cl. auctor. ita paragraphis 4. & 5. in eo ſedulo elaborat, ut ſuæ ſententiæ non adverſari videantur. Ad quæ nos notamus, multo accuratius de mentium proprietatibus illos ex patribus, qui Angelos puros & liberos ab omni cum proprio corpore commercio credi-

de-

dere, non potuiſſe conſentire: quam qui mentium corporumque naturam ita temere confuderunt, ut a corporibus ſubtiliſſimis actiones proficiſci poſſe exiſtimarent menti proprias atque perpetuas, quæque tota ſua natura ab omni extenſione, & figurarum motuumque diſcriminibus abhorreat. Adeoque majus etiam pondus, ſi quid tribuendum eſt patrum auctoritati, noſtræ partis teſtimonia habebunt. Ex iis, quæ ſupra adduxi teſtimoniis patet, præclare noſtræ ſententiæ patronos de ſpirituum natura ab omni extenſione diverſiſſima ſenſiſſe. Licet deinde facile largiar, interdum corporibus ex Platonicorum ſententia oppoſuiſſe patres corpora ſubtiliſſima: qui tamen Angelorum & mentium naturam igne, aëre, æthere contineri dixere, eo ipſo ſenſu harum mentium naturam corpus eſſe voluere, quam nos corporis tribuimus; quemadmodum ex noſtræ ſententiæ teſtimoniis demonſtrari poteſt, noſtros patres Angelos non tantum a craſſioribus, ſed a quibuslibet etiam corporibus liberos voluiſſe. Quo vero magis effecerit auctor, ut patres diverſas a noſtris corporum & mentium ideas habuiſſe videantur: eo infelicius illorum teſtimonia ſuæ ſententiæ confirmationi adhibet. Patrum nævos facillime ferimus, ſed quo pluribus, quoque gravioribus laborant, eo minus illorum auctoritas valebit, quoties, quæ dicunt, neque ex ſcriptura demonſtrant,

ne-

neque ex ratione. Quod in noſtro argumento nunquam factum, vel fieri poſſe facile confido. Unde quæ §. 5. tradit auctor, ea parum ipſi prodeſſe poſſunt. Liquidum quidem eſt, patres Angelorum exiſtentiam credidiſſe, Sed liquidum non eſt, Angelos credidiſſe mentes, quibus corpora unita fuerint ætherea. Si enim a pauciſſimis diſceſſeris, ex teſtimoniis ſupra productis apparet, reliquos omnes Angelos totos corporeos putaviſſe. Ex magna teſtium nobiscum ſentientinm nube quam produxi, conſtat, corpus in quo Angeli apparuerint, plurimis non viſum eſſe Angelis proprium: & longe aliter diſtinxiſſe mentem a corporibus Angelorum, quam humanam mentem a corpore humano. Adde quod corpora, in quibus Angeli apparuerint, magnopere a ſubtiliſſimis illis, quæ auctor iis tribuit, differre videantur. Unde Tertullianus de anima cap. 7. diſtinguit eadem ratione inter proprium atque naturale Angelorum corpus, & externum illud, in quo apparuerint, quodque ſibi ipſos Angelos ex nihilo feciſſe exiſtimat: qua ex Pythagoræorum & Platonicorum mente, ipſi noſtræ animæ ſuos etiam artus, ſuos oculos, ſuas aures, ſuum proprium corpus tribuit, a noſtro craſſiori diſtinctum. Nec aliter ſentire poterant de Angelis, quicunque ipſis corpus ſubt liſſimum adſcripſere. Non ſolum Tertullianum, ſed eos omnes maximo ſane numero objicimus, qui

An-

Angelos totos corporeos cum Tertulliano ſenſerunt, licet in eo a Tertulliano diſceſſerint, quod ſolum Deum incorporeum crediderint. Non Auguſtinus in eo eſt, ut Tertulliani errorem exculpet, aut orthodoxe ipſum hic ſenſiſſe oſtendat, ſed tantum ut non eo nomine in hæreticis habitum fuiſſe demonſtret, quod Deum, Angelos & mentes corpora eſſe exiſtimarit. Quod cum ex loco quem Clariſſimus auctor citat, & maxime ex iis quæ in ipſo Auguſtino citata ab auctore verba ſequuntur: tum vero maxime ex L. X. cap. 24. de Geneſi ad literam, ubi πρῶτον ψεῦδος Tertullianeæ ſententiæ expoſiturus, *Tertullianum*, inquit, *corpus eſſe animam credidiſſe non ob aliud, niſi quod eam incorpoream cogitare non poterit, & ideo timuerit, ne nihil eſſet, ſi corpus non eſſet, neque de Deo valuiſſe aliter ſapere.* Tantum igitur abeſt, ut Tertullianum vel erraſſe vel graviter erraſſe neget, ut potius hunc ipſum Tertulliani errorem idem Auguſtinus de anima & ejus origine L. II. c. V. deliramentum vocet. Sed quantuscunque hic Tertulliani error fuerit, ob eum tamen in hæreticis habitus non eſt. Quia omnis illius error in eo tantum verſabatur, quod nihil ut ipſe ait, incorporale putarit, niſi quod non eſſet. Eundem errorem Epicuræos erraſſe ſupra vidimus, qui nihil ἀσώματον exiſtimarunt ſi a ſolo ſpatio vacuo nihiloque adeo diſceſſeris. Uti igitur Auguſtinus hoc nomine Tertullianum

num hæreticum negavit: ita a blaſphemiæ & hæreſeos crimine liber Tertullianus non fuiſſet, ſi mentes exiſtimiſſet ſubſtantias omni ſua natura & a corporibus diverſas, & corporibus infinitis paraſangis præſtantiores diviniores que, nihilominus tamen Deum corporeum dixiſſet. Tanto igitur longius ab hæreſeos crimine reliqui patres abfuere, qui, licet cum Tertulliano reliqua omnia corporea voluerint, contra tamen Tertullianum Deum ſolum incorporeum exiſtimaverunt. Tantum igitur abeſt, ut ex his cum auctore colligere liceat, eam opinionem, quæ corporis & mentis proprietates commiſcere videbatur, parum eo tempore ab hæreſi abfuiſſe, ut potius eo ipſo nomine Auguſtinus Tertullianum ab hæreſeos crimine liberum pronuntiarit, quod corporis & mentis proprietates confuderit. Tantum abeſt, ut, quod auctor voluit, univerſalis Eccleſia ſemper crediderit, corpus & mentes diſtinctas eſſe ſubſtantias, ut ſi a ſolis fere illis diſceſſeris, qui nobiſcum ſenſere, reliqui tantum non omnes corpora & mentis confuderint. Ut adeo ſi univerſalis Eccleſiæ ſententia ex iis æſtimanda ſit, quæ patrum plurimi exiſtimavere, Eccleſiæ ejus ætatis univerſali ea potius ſententia tribuenda videatur, quæ corpus & mentem confudit. Quemadmodum hunc ipſum errorem Gennadium Marſilienſem in Eccleſiæ domatibus retuliſſe ſupra vidimus. Ex quibus conſequitur

tur teſtimoniorum, quæ auctor adduxit, plurima magis illi obeſſe, quam prodeſſe.

§. 12. *Ad* §. 6. Patrum igitur primorum, quorum teſtimoniis nititur auctor, doctrina ſi conſervata fuiſſet, non tam Angeli, quod auctor vult, hodiedum corporibus præditi exiſtimarentur, quam toti corporei haberentur. Ex teſtimoniis, quæ ſupra adduxi, patet, antequam auctoritas Ariſtotelis invaleſceret, imo ante ipſum Ariſtotelem fuiſſe, qui Angelos liberos a corpore exiſtimarint. Deinde ex ipſo Ariſtotele & Plutarcho ſupra oſtendi, celeberrimum hunc Philoſophum non tam nobiſcum ſenſiſſe, quam cum auctore: cum dæmonas, quorum numerum uti ex Metaphyſ. L. XIV. c. 8. colligere licet, non ultra quadraginta ſex extendit, ex ſuis ſphæris tanquam corporibus ita compoſuerit, ut eos animalia exiſtimaverit. Ut ſi ab iis diſceſſeris, qui cum Epicuræis παν το δαιμονιον ſuſtulere, nemo pedibus in magis a nobis diverſa diſceſſerit, quam ipſe Ariſtoteles. Ut neſciam qui Zanchius, cumque eo auctor noſter Chriſtianorum, qui puros Angelos ſtatuerunt, ſententiam ab Ariſtotele derivare potuerit. Scholaſticorum alii cum Ariſtotele dæmones corporibus conjunctos putavere, alii vero nobiſcum cum ſentirent, eo ipſo Ariſtotelem non ſequuntur. Noſtræ ſententiæ originem illis potius tribuo, qui cum tota ſua natura mentes a corporibus diſtinctas habuerint, difficiliusque longe exiſtimarint

Angelorum phænomena explicare ſive craſſiora ſive ſubtiliſſima iis corpora tribuas, quam ſi eos ab omni corpore proprio liberos pronuncies, non potuere non veroſimilius, judicare, Angelos corporibus propriis non uti. In hac ſua ſententia procul dubio non parum confirmati ſunt, quando & Gentiles quondam in eadem ſententia fuiſſe intellexerunt, & ſcripturam eodem fere ſenſu Angelos רוחות & πνευματα vocare exiſtimarunt, quo & Deus & mentes noſtræ πνευματα ibidem dicuntur. Majori vero ſpecie unanimi fere eruditiſſimorũ virorum conſenſu, eorũ patrum ſententiam, qui Angelis propria quondam corpora ſubtiliſſima vindicarunt ex Judæorum, Pythagoræorum & Platonicorum hypotheſibus derivamus. Ovum enim ovo ſimilius eſſe non poſſe, quam quæ & Pythagoræi atque Platonici & patrum plerique de Angelorum natura ordinibus, officio ſenſerunt, nemo negare poteſt, niſi qui harum rerum ignariſſimus eſt. Longe igitur melius ſibi & ſuæ ſententiæ conſulit clariſſimus auctor, quam noſtræ (quam temere hic errorem vocat,) quando horum rationem habendam negat, potiusque rationes & argumenta, quam humanam auctoritatem ſpectandam monet. Quid vero rationes, quas auctor adfert, poſſint, quum in teſtimoniis patrum nihil præſidii auctoris ſententiæ poſitum eſſe hactenus demonſtravimus, ex ipſo clariſſimo auctore jam jam videbimus.

§. 13.

§. 13. Quæ auctor toto paragrapho ſeptimo erudite, & copioſe de naturali, & abſoluta mentium, & corporum diſtinctione demonſtrat, ea uti veriſſima ſunt, ita tanto facilius admittimus, quanto conjunctiora cum noſtra ſententia eſſe ex iis patebit, quæ a nobis infra dicentur. Egregie quoque doctiſſimus auctor paragrapho octavo ex communi noſtrorum ſententia & philoſophum & Theologum agit, quando demonſtraturus eſt, finem Dei creaturi non eſſe poſſe, niſi ut ſe ipſum, ſuasque perfectiones, & omnem gloriam illuſtriſſimo modo manifeſtaret. Quod tamen cum idem ſit, atque ſi diceres, Deum non alio fine producere mundum potuiſſe, quam ut extra ipſum eſſent, a quibus cum ipſe, tum opera ejus omnia cognoſcerentur, minus mihi accurate dictum videtur. Cum enim ſermo hoc loco non ſit, niſi de fine Dei ultimo, ad quem reliqui omnes referantur: nullus mihi alius videtur recte conſtitui poſſe divinorum operum finis, ſi a Dei delectatione atque voluptate diſceſſeris. Deo enim, cum ipſa ſit Sanctitas, nihil amare licet, niſi ſe ipſum, nihil agere, niſi ſua ſolius cauſa. Quod ſi in ſacra ſcriptura Deus dicatur res ab ipſo productas amare, id ἀνθρωποπαθῶς dicitur: neque enim tam creaturas, quam ſe in creaturis amare ſancte poteſt. Quemadmodum improprie etiam media, fineſque ſubordinatos dicimus amare: licet omnis amor non ſit, niſi finis ultimi. Ex qui-

bus conſequitur, Deum, ſi quid extra ſe productum ſit, non poſſe producere, niſi ſua ſolius cauſa i. e. eo tantum fine, ut quemadmodum ex ſuis ipſe perfectionibus ſumma quadam, puriſſimaque voluptate perfunditur, ita ſe ipſo in operibus ſuis fruatur, delecteturque. Uti igitur ſolus ab æterno ſuis perfectionibus ſumma cum voluptate fruebatur: ita etiam ſua potentia & ſapientia ſolus delectari poteſt in operibus ſuis, *licet* vel nullæ aliæ mentes exiſterent, vel *iſtis nihil præter* Deum & ſemet ipſos innoteſceret. Quæ ſi vera ſint, mihi autem omni exceptione videntur ſuperiora; Deus poterit ſalvo fine ſuo ultimo adeoque ſancte producere vel ſola corpora, vel mentes quidem etiam, licet mentes iſtæ tam non cognoſcant corpora, quam corpora nequeunt mentium naturam perſpicere. Deus enim fine ſuo non magis minusve videtur potiri, ſive mentes iſtæ corpora cognoſcant, ſive ignorent. Utroque ſiquidem modo Deus & in mentibus, & in corporibus ſe ſuasque perfectiones & cognoſcere poteſt & iis delectari. Quod ſi ſit, ſua mole ruit, quicquid ex hoc fundamento in ſequentibus paragraphis auctor doctiſſimus ſuſpendit. Sed ne mihi tam parvo conſtare videatur omnium copiarum, quarum viribus tantum tribuit vir doctiſſimus, profligatio: facili me vir clariſſimus utetur adverſario, & quæ hic tanquam omni exceptione majora ponit, licet talia minime ſint,

ea

ea tamen ultro largior. Largior, inquam, Deum in operibus ſuis alia non potuiſſe ſibi proponere, quam ut illius opera a quibusdam ex ejus operibus cognoſcantur: ſed quomodo pronum ſit, ex eo colligere non mentes ſolas ſed corpori unitas creandas fuiſſe, non mihi licet eſſe ita perſpicaci, ut videam. Videamus igitur, doctiſſimus auctor quomodo hanc conſequentiam demonſtret.

§. 14. *Ad* §. 9. Licet Deus indifferenter liber nobis non poſſit non videri ad mundum aut plane nullum, aut omnem alium producendum; quia nullas rationes cognoſcimus, quamobrem Deo melius videri potuerit, hunc producere, quam aut nullum aut alium: quin tamen certæ fuerint rationes qualescunq;,quibus melius Deo viſum, talem producere mundum, nobis neque per naturam libere agentium mentium dubitare licet, neque per ſummam Dei ſapientiam, quæ nihil temere, nihil absque ratione agit. Facile igitur, ſi noſtras ideas excutiamus, largimur nihil in iis contineri, quo minus Deo licuiſſe videatur condere ſolas mentes. Neque tamen in minutiſſimo compendio hac ratione gloriam ſuam Deus tantum manifeſtaſſet. Nam & ipſæ Dei perfectiones infinitæ ſunt, & mentium eſſe potuiſſent infinita diſcrimina. Non minutiſſimum igitur, ſed ampliſſimum, ſed infinitum ſuæ gloriæ theatrum etiam in ſolis mentibus Deus ſibi conſtituere potuiſſet.

Accedit quod, uti ipſe doctiſſimus auctor largitur, ideæ corporum poſſibilium idem in mente noſtra efficere potuiſſent, quod faciunt ideæ exiſtentium corporum. Quemadmodum ipſis noſtris mentibus ideæ ſunt longe majoris rerum corporearum diſcriminis, quam quale unquam ſenſibus accepimus. Sed cum hæc utrinque concedantur, extra controverſiam noſtram poſita ſunt.

Paragrapho decimo auctor demonſtraturus eſt corpora θεοπρεπῶς creari non potuiſſe, niſi etiam mentes conderentur. Abſurdeque dici putat Deum paſcere ſuos oculos rerum creatarum pulcritudine, & ſplendore, ſeſeque ipſum rerum varietate oblectare voluiſſe. Sed quam abſurdum non eſt, Deum ſe ipſo delectari, tam quoque abſurdum non eſt, Deum delectari non quidem rerum creatarum pulcritudine, varietate, ſplendore, ſed ſua potentia, ſapientia, bonitate, quam in his rebus & producendis, & conſervandis exercet. Ipſe Spiritus Sanctus Pſalmo 104. v. 31. Deum ait delectari במעשיו operibus ſuis, ad quæ corpora etiam referuntur. Et uti in ſpecie in ſalutis œconomia, ita in genere in omnibus Dei operibus æterna illa Dei ſapientia שעשעים delectationes habet maximas. Proverb. VIII. v. 31. Nemo adeo facile poteſt exiſtimare, Deum & ſua ſolius cauſa agere poſſe extra ſe, & carere toto hoc mundo, quin eo ipſo largiatur, Deum potuiſſe delecta-

ri

ri ſolis corporibus. Quam vero ſubjungit rationem, ea plane nulla eſt. Non enim quia Deus ſua omnipotentia ab æterno delectabatur, ideo hujus ſolius delectationis gratia corpora producere nequivit. Quid enim Deus admiſit ſuis perfectionibus indignum, quando, uti ab æterno ſua omnipotentia, ſapientiaque delectabatur, ita harum virtutum exercitio in corporum creatione atque conſervatione delectari voluit? Neque facile ferret Clariſſimus auctor eum, qui ita contra illius ſententiam argumentaretur: Deus ab æterno omnium illarum perfectionum gloria fruebatur, quas in mundi creatione manifeſtavit, ergo temere & fruſtra mundum condidit. Licet vero in hac corporum ſolitudine nihil a ratione, nihil ab iis alienum putem, quæ de Deo cognoſcimus: ſupra tamen jam promiſi, me hic liberaliter acturum, clariſſimique auctoris gratia negaturum, corpora potuiſſe produci, niſi etiam producerentur mentes, quibus innoteſcerent.

§. 15. Paragrapho vero undecimo auctor id argumentum tractat, in quo omnis demonſtrationis, qua nititur, cardo verſatur. Exiſtimat ſcilicet doctiſſimus Loërſius, *Angelis corpora & ex iis divinarum perfectionum gloriam innoteſcere non poſſe, niſi propriis quibusdam corporibus conjungantur.* Quodſi igitur Deus non alio fine condere corpora potuit, quam ut ex iis cognitis ſuæ perfectiones creatis mentibus

innoteſcerent; tam negare ſua Angelis corpora nequimus, quam certo corpora exiſtere novimus. Verum enim vero, ſi demonſtraverimus, *Angelis corpora innoteſcere poſſe, licet propriis corporibus non utantur:* actum & conclamatum erit de toto hoc argumento, quod tanta contentione clariſſimus auctor agit, ut omni exceptione majus eſſe doceat. Id vero ut conſequamur non utemur argumentis, niſi quæ vel auctor in hac ipſa eruditiſſima diſſertatione propoſuit, vel cum his ſaltem conjunctiſſima ſunt. Scilicet ipſe auctor ſolidiſſime §. 7. oſtendit, tantam eſſe naturæ mentium, & corporum non diſcrepantiam modo, ſed pugnam etiam, ut nullum per ſe inter corpus & mentem dari poſſit commercium, nullumque corpus moveri poſſit a mente finita propria virtute, & nulla mens, cum ſuperficiem nullam habeat, affici poſſit a corpore &c. Ex quibus conſequitur, tantum abeſſe, ut poſſibilem quendam unionis, qua mens in corpus & corpus in mentem agere poſſit, modum excogitare poſſis, ut potius niſi re ipſa eſſe quoddam ejusmodi commercium in te ipſo ſentires, ejusmodi commercium impoſſibile videretur. Facilius enim videtur, nihilum agere in mentem ſua virtute, quæ nulla tamen eſſe poteſt, quam corpus. Non male enim propius quodammodo nihilum a mente abeſſe, quam corpora illi exiſtimarunt, qui facilius Deo putarunt ex ni-

nihilo mentem producere, quam ex corpore, quod hoc prius in nihilum convertendum videatur? Quid? quod eam naturam corporum eſſe, ut neque ipſa ſeſe, neque alia corpora movere poſſint ſua virtute, viri doctiſſimi demonſtrarunt. Omnem vero movendi virtutem non eſſe niſi immediatam Dei ubique præſentis agentisque omnia in omnibus virtutem. Multo igitur minus corpora ſua virtute in mentem agere poterunt: & ſi quid in his poſſe corpora videntur, id omne ſoli Deo immediate adſcribendum eſt. Adeoque vel carendum menti creatæ omni corporum cognitione ex ipſis corporibus erit, vel ab auctore & corporum, & mentium omnis hæc cognitio immediate pendebit. Tantum enim abeſt, ut quicquam vel in mentis, vel in corporis natura deprehendatur, quod etiam minimum ad hoc commercium conferre poſſit, ut potius tota utriusque natura ab omni hoc commercio abhorrere videatur. Ex Dei igitur & his mentium corporumque ideis colligi poteſt, quatuor forte modis tantum mentes finitas corporum cognitionem poſſe conſequi.

§. 16. Vel enim *primo* mentibus Deus ut ſui, ut aliarum rerum, ita etiam corporum ideas innatas eſſe potuit velle. Sic mathematicas veritates, quibus cum omnis corporum natura continetur, tum plures de corporibus veritates demonſtrari poſſunt, quam

 quas

quas ſenſibus ducibus cognovimus, æternas, nobis innatas, immutabilesque eſſe magno conſenſu perhibent. Harum vero idearum ope aut corporum poſſibilitatem mentes finitæ tantum cognoſcunt. Quod ſi ſit, æque hac ratione Deus videtur manifeſtare potuiſſe ſuam gloriam, quam ſi corpora actu exiſtere iſtæ mentes cognoſcerent. Eadem enim fere gloria Dei ex eo exſtat, atque apparet, quod aliquid facere poſſit, quam quod fecerit. Quod auctor ſaltem negare nequit, niſi ipſe ſibi contradicere velle videatur.

Quod ſi enim, uti ſupra §. 10. monuit, abſurde dicatur, Deum magis delectari poſſe corporibus productis, quam æterna ſua omnipotentia, qua ſe poſſe corpora producere novit: abſurde quoque ipſo clariſſimo auctore judice negaretur, eandem Dei gloriam in eo exſtare atque apparere, quod mentes creatæ norint, tantam eſſe Dei & ſapientiam, & potentiam, ut poſſit facillime, ſi velit, producere talia corpora, qualia exiſtere novimus, quam ſi ſciant, Deum ea produxiſſe. Aut Deus earundem idearum ope, mentes non poſſibilia tantum corpora eſſe, ſed actu etiam exiſtere poteſt docere. Quod vel ratiocinatione vel alia, quam ſénſuum ope, ratione conſequi mentes poterunt. Uti enim Deus absque ſenſibus etiam corpora exiſtere cognoſcit: ita ſi ſimili quadam ratione Dei virtute Angelorum mentes corporum exiſten-

ſtentiam edoceantur, tanto propius hac in re ad divinæ perfectionis imaginem accedent, tantoque perfectior hæc ipſa illorum cognitio erit.

Vel *ſecundo* corporum cognitionem conſequi poſſunt Angeli per harmoniam quandam præſtabilitam, quam non absque omni veri ſpecie illuſtris Leibnitius, qua erat in his rebus perſpicacia, primus videtur tradidiſſe. Efficeret autem illa harmonia, ut quoties Angeli circa corpora verſarentur, toties ſine ulla ullius corporis actione, ille idem ordo idearum ex Dei voluntate mentibus præſens eſſet, quem alii aut corporum aut Dei immediatæ & præſentiſſimæ virtuti tribuunt.

Vel *tertio*, quæ auctoris mens eſt, Deus mentes creatas cum corporibus quibusdam propriis, & per hæc cum aliis conjungere poterat.

Vel denique *quarto* Deus eas ferre potuit leges, eumque conſtituere inter mentes, & corpora nexum, ut quoties corpora Angelis quo velis cunque ſenſu præſentia ſint, toties immediata divina virtute aliæ atque aliæ ideæ in mentibus pro ipſa ſcilicet corporum diverſitate excitentur. Nulla divinarum perfectionum, nulla mentium creatarum, nulla corporum plus iniqui ex primo, ſecundo & quarto modo patitur, quam ex tertio. Iis modis autem omnibus fieri æque facile poteſt, ut corpora mentibus puris innoteſcant, quam

quo

quo auctor vult modo, Angelis corpori proprio junctis.

*Quintum* alii modum fingunt, quo exiſtimant fieri poſſe, ut propriam quandam connatamque virtutem & mentibus & corporibus Deus conceſſerit, qua in ſe invicem agere poſſint. Sed iſte modus tam mihi videtur impoſſibilis, quam fieri nequit, ut vel Dei virtus cum rebus creatis, vel mentium proprietates cum corpore, aut corporis cum mente communicentur. Quamvis neque hæc ſententia noſtræ adverſetur. Eadem enim facilitate nos propriam quandam virtutem mentibus in corpora agendi, & corporibus in mentes vindicare poſſemus.

§. 17. Quod vero auctor hæc fieri poſſe negat, niſi intercedente quodam proprio corpore: id mihi tam a ratione alienum videtur, quam cum iis ipſis pugnare, quæ auctor ſupra præclare demonſtravit. Quod ſi enim ex mente auctoris corpora, & mentes tam discrepantis naturæ ſint, ut nullum per ſe inter corpus & mentem dari poſſit commercium; noſtrum vero corpus, quatenus corpus eſt, nihilo magis agere in mentem noſtram poſſit, quam alia omnia corpora: eo facilius ejusmodi generale quoddam commercium inter mentes & corpora omnia, quibus præſentes videri poſſunt, conſtitui poterit, quo arctius, quoque difficilius adeo inter noſtram mentem, & corpus commercium inſtitutum ſen-

ſentimus. Niſi forte exiſtimet auctor, corpus noſtrum a mentis natura propius abeſſe, quam reliqua corpora. Sed omnia corpora, qua corpora, ejusdem naturæ ſunt.

Qualemcunque fingas in corporibus qualibuscunque figuram, qualemcunque illis tribueris motum, tantundem erit. Æquali enim i. e. infinito hæc omnia intervallo a mente diſſident: adeo ut corpus ſubtiliſſimum, artificioſiſſime conſtructum, celerrime motum nihilo magis in mentem agere poſſit, quam craſſiſſima, quieſcens, rudis & indigeſta moles. Ut adeo omne ejusmodi commercium ad unius omnipotentis divinæ voluntatis virtutem referendum ſit. Qua ſpecie igitur clariſſimus auctor negare ſuſtinet, Deum poſſe eadem virtute immediata eas ideas corporum in mentibus producere, quas auctor eidem divinæ virtuti, ſed per corpus quoddam proprium in nobis tribuit? Quid? quod longe impeditior implicatiorque ille ipſe modus eſt, quem auctor nobiscum in commercio mentis humanæ cum corpore ſocio admittit: noſter vero quem in commercio mentium purarum & corporum non ſuorum locum habere poſſe arbitramur, longe ſimplicior faciliorque videtur. Hic enim Dei virtute talis nexus conſtitutus eſſe poteſt, ut moto aut adfecto certa ratione corpore, in mente certæ quoque ideæ exiſtant. Ibi vero corpora mota noſtrum primum movent, a

quo

quo demum omnis motus in mentem traducendus. Ibi ſimplex tantum naturæ miraculum apparet, hic duplex. Ex quibus efficitur, ſi a priori judicandum, vero videri longe ſimilius i.e. ſimplicius, & divina ſapientia dignius Deum non uſurum ambagibus, cum ſint compendia præſto. Ex iis vero conſequitur, in noſtro commercio non ſolam corporum externorum cognitionem finem eſſe poſſe, quem Deus in *conjunctione* noſtrarum mentium cum propriis corporibus ſibi propoſuerit: cum Deus hunc finem facilius alia ratione conſequi potuiſſet. Quam profecto parum ſenſus noſtri in vera corporum cognitione poſſint, quam ſint fallaces, quam eo tantum fine conceſſi videantur, ut tanto felicius noſtri conſervationi ſervire poſſimus, inter omnes conſtat. Ad mundi igitur varietatem, ornatumque facere potius videtur hæc mentis noſtræ cum corpore conjunctio, quam ad corporum externorum cognitionem, niſi quatenus externis his corporibus ad noſtri conſervationem indigemus, & ſi qui alii fines ſint, quos Deus hac in re ſibi propoſuiſſe poteſt. Male vero auctor ſentire videtur, quando noſtrarum mentium modis tanquam finibus quibusdam arctioribus πολυποικιλον Dei ſapientiam, potentiamque, quæ tamen infinita rerum varietate admodum delectari videtur, ita circumſcribit, ut licere Deo non exiſtimet, alia ratione in Angelorum ideis

ex-

excitandis uti, quam qua in noſtris. Pejus vero adhuc non poteſt non videri ſentire auctor, quando exiſtimat, aliarum mentium ideas cum aliis mentibus communicari non poſſe, niſi per medium quoddam corpus. Quod eodem mihi loco habendum videtur, ac ſi quis exiſtimaret corporum alia alia movere non poſſe, niſi per medias quasdam mentes finitas. Tam ſua natura corpora alia alia movere nequeunt, quam mentes puræ in alias mentes agere. Qua igitur ratione Deus leges poſuit, juxta quas corpora alia alia poſſint movere: eadem potuit alias ferre leges, juxta quas mentium purarum aliæ cum aliis communicare ſuas & ideas, & voluntatis determinationes poſſint. Præſertim cum longe difficilius, quin etiam ab omni & mentium, & corporum natura magis alienum videatur, mentes agere poſſe in corpora, & corpora in mentes, quam mentium alias in alias. Hic enim maxima quædam naturæ & proprietatum cognatio eſt, atque communio: ibi vero omnia adverſa ſibi invicem & oppoſita. Eadem conſequentiæ evidentia, qua auctor exiſtimat mentes ſecum invicem communicare non poſſe ideas & voluntatis determinationes, niſi corporibus propriis junctas, quia hanc rationem in hominibus videamus, quis collegerit, quia noſtrum corpus unitum menti ſit, ideo omnia corpora, quæ in alia agant, certis quibusdam pro-

propriisque mentibus conjuncta eſſe? Si hæc non ſit μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, nulla profecto erit.

§. 18. Temere fines Dei conſtituimus. Αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ ἀνεξιχνίαστοι. Quis enim in his ἔγνω νοῦν κυρίου; ἢ τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο; Soli Deo omnes ſuorum & conſiliorum, & operum rationes cognitæ atque perſpectæ ſunt. Etſi quid a poſteriori de finibus Dei cognoſcere nobis videatur, ſedulo cavendum, ne arctiſſimis his limitibus divinam ſapientiam, potentiamque circumſcribamus. Itaque Angelorum opera & miniſterio uſum eſſe Deum ex ſacra ſcriptura conſtat: ſed eſſe Angelos peculiari ſenſu potentiſſimos per totum mundum providentiæ divinæ miniſtros, & hunc eſſe vel ſolum, vel præcipuum finem, ob quem Angeli exiſtant, cum id neque ex Sacra ſcriptura, neque ex ratione facile conſtet a me ut crederem, hactenus impetrare non potui. Sed ſint ſane Angeli ut etiam hoc largiamur auctori, potentiſſimi per totum mundum divinæ providentiæ miniſtri. Non perdat Deus hoſtes, niſi illorum opera. Non vaticinentur Prophetæ, niſi ἀγγελόπνευστοι. Defendant, eripiant, vindicent, quos Deus defenſos, ereptos, vindicatos eſſe vult. Æque id & facilius quidem adhuc ex noſtra ſententia poterunt, atque ex clariſſimi auctoris mente. Quod ſi enim certus quidam nexus inter Angelos & corpora externa conſtitutus

tus eſt, ex quo & Angeli in corpora, & corpora in Angelos agere poſſint, id quod a divina ſapientia & potentia alienum non eſſe oſtendimus: Angeli non cogitabunt tantum, ſed agent etiam, movebunt, & æque eorum motuum omnium, quos producere videntur, cauſæ erunt dicendi, atque noſtræ mentes eorum, quos in ſuo corpore cient. Neque tamen inde conſequi videtur, totum hunc mundum eſſe eodem ſenſu Angelorum corpus, quo humanum noſtrum ſit. Ad id enim, ut, quo utimur corpore, noſtrum ſit, non ſufficit, ut mens in corpus, & corpus in mentē agere poſſit, quod ſolum in Angelis volumus: ſed ejusmodi unio, ex qua noſtra mens, ipſas corporis, quo utitur, ceu ſociæ partis & perfectiones, & imperfectiones, felicitates & miſerias ad ſe ipſam quoque pertinere quodammodo exiſtimet. Unde ſenſibus proprie dictis, qui ſolius noſtri corporis conſervandi cauſa nobis potiſſimum conceſſi exiſtimantur, facile carebunt Angeli. Neque forte ipſos alia corpora jucundo, alia acerbo ſenſu perfundent: Niſi hanc legem ſapientiſſimus creator etiam ipſis rogarit: Sed quemadmodum nos reliqua corpora per noſtrum intelligimus & percipimus: ita Angeli immediate ſine ullo proprio corpore & corpora cognoſcere poſſunt, & in ea agere. Quæ ſi ita ſint, his Dei miniſtris deeſſe, quibus utantur, inſtrumenta nunquam poſſunt, cum corporibus omni-

bus uti poſſint ad ea perficienda, quæ volunt, quæque ſui muneris eſſe intelligunt.

§. 19. *Ad* §. 12. Miror vero qui auctor exiſtimare poſſit, Angelos imperfectiores futuros, ſi cæci, ſurdi, muti ex noſtra ſententia ſint futuri. Primo enim cum neque cæci, neque ſurdi, neque muti dicuntur, niſi quibus naturale eſt videre, loqui, Angeli, licet corpore proprio non utantur, neque tamen propterea erunt aut cæci, aut ſurdi aut muti dicendi. Deinde Angeli quo minus ſenſuum ope indigebunt, eo propius ad divinæ cognitionis perfectionem accedent. Non infirmitatis profecto, ſed ſummæ potentiæ in Deo argumentum eſt, neque audire, neque videre, neque loqui.

Eſſentialiter diſtinctas alias mentes ab aliis eſſe poſſe, ipſa divina mens argumento eſt illuſtriſſimo. Quæ licet & ipſa ſit ſubſtantia cogitans, intelligens, & volens: ita tamen omni ſua natura & ab Angelis & a noſtris mentibus diſtinguitur, ut ne ullum quidem magis diſcrimen vel fingi poſſit. Inter hanc autem infinitam, & finitas mentes, cum infinita ſit ſubſtantia: finitarum mentium aliæ aliis in infinitum usque eſſe poſſunt perfectioris naturæ, propiusque ad divinæ mentis perfectionem accedere, licet finitæ ſemper naturæ futuræ ſint. Tanta ad minimum mentium diſcrimina eſſe poſſunt, quanta corporum. Et licet eædem plane ideæ, iidem

vo-

voluntatis motus, eadem harum facultatum ad ſe, & ad res externas relatio eſſet: ipſe tamen ille mentium liberarũ abſolutus ſtatus, noſtrarumque ad corpus quoddam proprium determinatio ſatis magnum diſcrimen inter mentes has diverſas conſtituere poſſet. Quo pacto Angeli perfectæ erunt mentes, licet corpori nulli conjuncti, quia omnis illarum natura ſejuncta, ſegregataque ab omni corpore proprio eſſe intelligitur: humanæ vero mentes, licet, quatenus mentes ſunt maximas conſequi poſſint perfectiones, quas quidem admittit finitæ mentis ratio ſine ullius corporis ſocietate; quatenus tamen humanæ, i. e. ad connubium quoddam cum corpore proprio deſtinatæ, imperfectæ dici poſſunt, quia ſocia hac ſua amicaque parte ante reſurrectionem neque uti, neque frui poſſunt.

Nemo ſane mentis vocem, cantum, ſenſus proprie dictos mentibus puris atque ſolis vindicabit: ſed quia ſacræ literæ mentibus beatis ante reſurrectionem hæc tribuere videntur, non male inde colligitur, ejusmodi quid, qualecumque id futurum ſit, ſejunctis a corpore noſtris mentibus a Deo conceſſum iri, quo communio quædam atque ſocietas cum inter alias humanas mentes, tum inter Angelos inſtitui, colique poſſit. Sive Metaphorice & ex humana conſuetudine iſte commercii modus, ſermo, cantusque vocetur: ſive corpora externa, quibus uti pot-

erunt, ex divina voluntate ita moveri ab Angelis & a mentibus humanis poſſint, ut articulatæ voci, & cantui proprie dicto quodammodo locus eſſe poſſe videatur. Toto hoc reliquo paragrapho maxima contentione nihil plane agit auctor. Miror, quomodo qua eſt & eruditione, & ingenii perſpicacia, negare poſſit, Deum alium nexum inſtituere potuiſſe inter mentes atque mentes, & inter mentes atque corpora, quam qualis in præſenti mentibus noſtris cum inter ſe & Angelos, tum inter corpora intercedit. Neque enim ejusmodi alius nexus naturæ corporum, neque mentium finitarum, neque denique Dei perfectionibus adverſatur. Non corporum. Quia cum omnium corporum eadem ratio ſit, eadem eſſentialis & infinita a divina mentis natura diſcrepantia: Neque corporum alia aliis quocunq; ſenſu cujuscunq; nexus aut aptiora, aut ineptiora eſſe poſſunt. Indifferens igitur ſua natura omne corpus eſt ad qualemcunque velit potentiſſimus creator nexum. Neque mentium finitarum natura ejusmodi diverſo nexui adverſatur: quia ſalvis ſuis perfectionibus omnibus infinita, ſi ſingulas circumſtantias conſideraris, ejusmodi nexuum diſcrimina admittunt. Tam nullum naturale vinculum inter mentes & corpora quæcunq; intercedit: quam noſtræ mentes & corpora nullam neceſſariam cognationem habere intelliguntur. Salvis denique divinis

per-

perfectionibus omnibus infiniti alii ejusmodi nexus adornari poſſunt. Nullius enim divinæ perfectionis quicquam intereſſe poteſt, quocunque velit Deus modo nexuum ejusmodi rationes inire. Omnes enim unius omnipotentis voluntatis libertate metiendi ſunt.

§. 20. Sed quæ auctor paragrapho 14. his aliis nexibus opponit, ea quid valeant, paucis videbimus. Illum alium nexum, ait, aut univerſalem futurum, aut particularem. Univerſalem qualem auctor deſcribit, ne nos quidem admittimus. Quamvis fruſtra ſibi timere auctor videatur ab enormi ex ejusmodi nexu & pene divina Angelorum potentia. Non enim hæc Angelorum, ſed Dei futura eſſet potentia. Quemadmodum non puto auctorem, hanc ipſam virtutem, qua & mens noſtra corpus movere ſuum videtur, & corpus mentem afficere exiſtimaturum mentis & corporis non vero Dei propriam eſſe. Cum igitur etiam noſtra mens non aliter agat in movendo corpore, niſi volendo: Neque Angelorum mens aliud agat, neceſſe eſt quam quod voluntate continetur; omnis autem reliqua agendi atque movendi vis tota Dei ſolius erit. Niſi enim omnes mentis finitæ vires (hæc ipſa auctoris ex §. XI. verba ſunt) ſuperare credas volendo vel pulviſculum movere loco, facile te eo adigam, ut concedere debeas, mentem finitam totum movere poſſe mundum &c. Sed cum non

 ipſi

ipſi nolimus ejusmodi nexum univerſalem, neque nos tangunt, quæ illi auctor objicit, neque ea opus nobis eſt ad accuratius examen revocare.

Quem vero nos admittimus nexum, eum non abſolutum ſtatuimus, ſed certis & volentis mentis, & moti corporis legibus circumſcriptum. Nihil ex hoc qualicunque nexu vel Angelorum, vel corporum perfectionibus attributisque decedit. Neque differt ab humano nexu, niſi quod primo amplior videatur: deinde quod aliena corpora ut aliena immediate Angeli percipiant, cum contra nos per proprium corpus tantum externa corpora tanquam aliena ſentiamus. Quæ vero auctor §. XV. contra hunc nexum molitur, paucis excutienda ſunt. Ita enim mihi videntur nullius eſſe momenti, ut in iis refutandis nobis liceat eſſe breviſſimis. In genere vero tenendum, corpora, in quibus Angeli apparuerunt, ex noſtra ſententia iis non fuiſſe propria. Quæ autem fuerit horum alienorum corporum ratio cum ignariſſimis ignoramus. Facile igitur quoslibet ferimus, quicunque hic nihil ſentiunt à ratione & ſcriptura alienum. Sed vehementer fallitur clariſſimus auctor, ſi ex ſua ſententia hæc expeditiora putaverit. Plerumque enim Angeli humana ſpecie apparuerunt; in qua & ambulare, & edere atque bibere & loqui, & tangere tangique viſi ſunt, Quæ immane

quan-

quantum a ſubtiliſſimo æthere & igne, quibus Angelorum corpora conſtare exiſtimat, differunt. Quicquid igitur cum ratione ſenſerit de his Angelorum corporibus, id omne ſalva noſtra hypotheſi etiam nos tueri poſſumus. Neſcio quid clariſſimus auctor ſentiat de Angelo fœderis, quem fidelibus Veteris Teſtamenti ſæpius apparuiſſe conſtat. Utrum jam tum filio Dei nondum caro facto corpus quoddam proprium ab humano diſtinctum vindicet. Neque, quid ſtatuat de illa ſpecie corporea, in qua Deus etiam nonnunquam apparuiſſe fidelibus V. T. conſtat. Quicquid igitur auctor de his ſentiat, niſi etiam Deo corpus quoddam proprium adſcribat, id neque noſtræ hypotheſi adverſabitur. Ex noſtra ſententia facile Angeli, multo vero facilius Deus, corpora externa vel noſtrum ita movere poſſunt, quemadmodum moventur, cum hæc aut illa ſentimus. Qua ratione neque corporibus aſſumtis opus erit, & uno impetu omnes illæ difficultates, quas auctor nectit, ſolutæ expeditæque erunt.

Lepide auctor clariſſimus quærit, quis Angelus nobis illud revelarit! Jactare ego quidem conſuetudinem, & familiaritatem cum Angelis nequeo: Nam quod longiſſime poteſt mens mea reſpicere ſpatium præteriti temporis, inde usque repetens recordari nequeo, ullum mihi unquam Angelum vel viſum eſſe, vel auditum. Quod ſi doctiſſimo auctori in

his contigit eſſe feliciori, ſique ex ipſis Angelis hanc ſuam ſententiam didiciſſe licuit, non ego equidem invideo. Si fidem hujus rei fecerit, argumenti erit loco omni exceptione majoris. Rationes noſtras ſupra adduxi. Quia cum Angeli a corporibus omnibus æquali, i. e. infinito intervallo diſſideant, ſimplicius i. e. dignius Deo videtur, cum compendio uti poſſit, non ambages ſequi. Cum enim nullum corpus altero vel propius vel longius a mentis natura abſit: præter rationem negari videtur, corpora alia poſſe agere in mentem, niſi aliis intercedentibus. Eodem enim jure ut hæc agere in mentem poſſint, tertia requirerent, & ut tertia, quartis indigerent, & ſic in infinitum. Deinde, quia divina ſapientia infinita rerum varietate delectari videtur: veroſimile putamus ejusmodi quoque mentes exiſtere, quæ nullis corporibus conjunguntur, uti corporum alia mentibus propriis conjuncta, alia libera ab ejusmodi conjunctione novimus. Adde his, quod ſacra Scriptura Angelos πνευματα vocet, cui eidem Deus quoque πνευμα audit. Quodque qualecunque corpus proprium Angelis tribuas, id nihil conferre poſſe videatur ad earum operationum, quas ipſis ſcriptura tribuit, reddendam rationem. Has vero noſtræ ſententiæ, ingenue enim ſentio, rationes lubenter fateor cum aliis ejusmodi rationibus, ſi quæ adferri aut poſſint aut ſoleant,

leant, nõn omni exceptione eſſe majores. Non demonſtrare mihi noſtram ſententiam, ſed auctoris tantum ſententiâ veriſimiliorem reddere videntur. Auctori autem Clariſſimo refutando ſufficit oſtendiſſe, noſtram ſententiam non adverſari rationi, non divinis, non Angelorum, non corporum proprietatibus. Reliqua hujus paginæ 28. ne digna quidem puto, quibus pluribus reſpondeam: Cum & facillime ſolvi poſſint, & vel noſtræ mentis cum corpore unioni, vel eidem quam in Angelis admittit auctor, eadem facilitate & opponi poſſint, & dilui.

§. 21. Quod vero auctor pag. 29. tradit, in noſtra ſententia, eam eſſe nexuum, & miraculorum mirabilem accumulationem, qua ipſa creatoris ſapientia obſcuretur, id ferri nequit. Vehementiſſime enim fallitur, ſi nexuum rationes ex noſtra ſententia impeditiores arbitratur. Primo enim nos in ſingulis actionibus non requirimus, niſi unum & ſimpliciſſimum nexum. Sive enim Angeli agendo verſentur circa Angelos, ſive circa corpora, ſive corpora movere & adficere videantur Angelos: nullo alio nexu nobis opus eſt, quam ut vel ad voluntatem Angeli, in alio Angelo quarundam idearum ſenſus aut in corporibus motus excitetur, vel ad corporis motum in Angelo perceptiones quædam exiſtant. Quibus ſingulis, cum immediate fiant, nihil eſſe aut fingi poteſt ſimplicius, ni-

hil expeditius; Ex clariſſimi vero auctoris ſententia, in ſingulis actionibus, quas Angeli in corpora externa aut Angelos reliquos & mentes humanas exercent, duo tres aut quatuor nexus aut ſpecie aut numero differentes admittendi. Cum enim agunt in corpora externa 1. mens Angeli in corpus proprium agit, 2. corpus proprium vel immediate vel per media adhuc alia corpora in tertia agit. Quando vero in mentes Angelorum aut hominum agunt. 1. Movent proprium corpus. 2. Proprium corpus movet aërem verbi gratia. 3. Aër movet corpus aut Angeli aut hominis. 4. Corpus hoc proprium in mentem ſibi conjunctam.

Secundo uti in ſingulis actionibus noſtra ſententia longe ſimplicior, atque naturæ & Dei, & mentium, & corporum eſt convenientior: ita neque ſententiæ auctoris quicquam cedit, ſi ipſa nexuum genera ſpectes. Quod ſi enim, quod communiter facere ſolent, ſubſtantiarum duas admittas claſſes, alteram mentium, corporum alteram: ex eo, i. e. ex ipſa naturali rerum diverſitate quadruplex relationum & nexuum genus immediate pendet. Scilicet 1. mentium ad mentes. 2. Corporum ad corpora. 3. Mentium ad corpora, 4. Corporum ad mentes. Totidem ipſa quidem naturali rerum varietate adducti non plures nexus ſtatuimus. Quem enim quintum ex noſtra ſententia nexum auctor comminiſci-

ſcitur, nihilo differt ab illo nexu, quem vel inter mentes & mentes, vel inter mentes, & corpora conſtituimus. Quando enim Angeli cum hominibus agunt: vel in eorum mentes immediate agunt; vel in eorum corpora, quod vel immediate fit, motis humani corporis membris, atque ſenſuum organis, vel motis prius corporibus externis. In genere vero nullum nos admittimus nexum, quin idem etiam auctoris ſententiæ cógnatus ſit. Primo enim auctor, quando exiſtimat, cum in genere corpora agere poſſe in corpora, tum in ſpecie Angelorum corpora in corpora & Angelorum & hominum, admittit nexum corporum cum corporibus. Cum ſecundo ſtatuit, Angelorum mentes movere poſſe corpora: nexui locum facit, qui mentibus cum corporibus intercedit. Tertio corpora non negans agere in mentes, neque negare poteſt nexum corpórum cúm mentibus. Quarto denique ipſum quoque nexum inter mentes absque corpore admittit, quando & Deum circa mentes, & mentes cum Angelorum, tum hominum circa Deum agendo verſari ſtatuit. In eo uno diſſentimus, quod nos nexum etiam immediatum inter mentes creatas conſtituamus, uti nexum auctor admittit inter mentes finitas & infinitam. Cum vero negat doctiſſimus auctor agere poſſe immediate in mentes, niſi ſolum Deum, mi-

nus recte facere videtur. Quod enim negat mentibus in mentes, id non tantum mentibus in corpora tribuit, ſed quod mireris, ipſis etiam corporibus in mentes vindicat. Quaſi magis naturale vinculum mentibus cum corporibus, quam cum aliis mentibus intercedat, & quaſi Deus plus divinæ potentiæ communicare cum corporibus poſſit, quam cum mentibus, & prius ſalvis divinis perfectionibus fieri poſſit, poſterius vero minime. Deinde quam ipſa rerum diverſitas quamque nexus inter mentes & corpora divinam ſapientiam non obſcurat, tam obſcurare nequit nexuum ea diverſitas, quam ipſa rerum diverſarum ſocietas atque communio non requirere tantum videtur, ſed exigere etiam. Porro auctor ipſe quintum quendam nexum ſtatuere videtur quando pag. 41. nexum qui intercedit inter mentem angelicam & corpus angelicum, alium exiſtimat, quam qui in hominibus obtineat: eumque in aliis arctiorem, in aliis laxiorem eſſe vult. Denique ſalva noſtra hypotheſi ipſi quoque Angeli in mentes alias agere poſſunt intercedentibus corporibus non propriis. Ex quibus conſequitur nos ſi non pauciora, ſaltem non plura nexuum genera admittere, quam quæ cum auctoris ſententia conjunctiſſima ſunt. Quis igitur ferat doctiſſimum auctorem nexuum & miraculorum mirabilem accumulationem, qua ipſa creatoris ſapientia obſcuretur, noſtræ ſen-

ſententiæ adfingentem? In Angelorum enim commercio ex noſtra ſententia pluribus quam tribus nexibus nunquam nobis opus eſt. Totidem ſi non plures admittit auctor. Mentium ſcilicet cum corporibus propriis, propriorum corporum cum alienis, alienorum cum aliarum mentium corporibus propriis, horum denique cum mentibus propriis. Ubi ſi differentiam, quam vocare ſolent Logicorum filii ſpecificam, ſpectes, tres ſenties nexus: ſi numericam, quatuor. Neque quintus aberit, ſi ex mente auctoris nexus inter Angelicum corpus & mentem diverſus ſit ab eo, qui in hominibus obtinet. Licet itaque clariſſimus auctor magna contentione id egerit, ut ex noſtra ſententia nexus accumularet; tamen ne comminiſcendo quidem nobis invitis plures uno adfingere potuit.

§. 22. *Ad §. XVI.* Quod Angeli גברי כח & Ἄγγελοι δυνάμεως vocantur, quodque eorum opera potentiſſima recenſentur, ad corpora propria Angelis vindicanda nihil facit. Eodem enim potentiam nos majori ſpecie ex noſtra ſententia Angelis vindicamus.

Neque plus roboris illi argumento ineſt, quod magna contentione ex Matth. XXII. v. 24-32. & parallelis locis auctor urget. Vel enim iſtam ἰσαγγελίαν ex Judæorum hypotheſi proponit ſapientiſſimus *Salvator*. Vel omnis hujus ἰσαγγελίας ratio qua Salvatori opus erat ad ſolvendum Sadducæorum objectio-

ctionem, ſibi conſtat, licet ex reſurrectione corporibus iterum utamur noſtris, nullus tamen propagationi matrimonioque locus relinquatur, & in eo Angelis ſimiles futuri ſimus, quos non propagari conſtat: Sadducæorum objectio contra reſurrectionem ipſa ſua ruet mole. Neque profecto eſt, quamobrem doctiſſimus auctor id urgeat, quod hanc ἰσαγγελίαν poſt reſurrectionem conſtituat Salvator. Ante reſurrectionem enim dum vivimus adhuc conjuncti propagationi & matrimonio locus relinquitur, quando autem ſeparati a corporibus cæleſti beatitudine fruimur, corporibus deſtituimur, neque matrimonio, neque propagationi locum ex noſtra ſententia eſſe poſſe ipſi Sadducæi norant. Cum igitur ex ſtatu noſtro poſt reſurrectionem Sadducæi argumentarentur: ex eopſe ſtatu reſpondendum ſalvatori fuit. Ὁι ὑιοὶ τῆς ἀναστάσεως apud Lucam v. 36. manifeſte opponuntur τοῖς ὑιοῖς τοῦ αἰῶνος τούτου v. 34. Rectiſſime igitur filii Dei futuri dicuntur filii reſurrectionis eodem ſenſu, quo Angeli filii Dei audiunt.

Uti enim Angeli, ita Adamus, filii Dei κατ' ἐξοχὴν vocantur, quia non aliorum Angelorum, aut hominum, ſed ſolius Dei filii ſunt: Ita qui ex reſurrectione renaſcentur non ex hominibus, ſed ex ſolo Deo naſcentur, adeoque non filii hominum, ſed ſolius Dei ex hac relatione erunt. Adeoque propagationi locus non erit amplius. Sed quam idoneum magis

hu-

hujus ἰσαγγελίας interpretem habere poſſumus, ſi ab ipſo Salvatore diſceſſeris, qui hanc ἰσαγγελίαν non in eo ponit, quod Angeli etiam corporibus utantur ſimilibus noſtris ex reſurrectione; ſed in eo, quod οἱ υἱοὶ τῆς ἀναστάσεως, οὔτε γαμοῦσιν, οὔτε ἐκγαμίσκονται, οὔτε ἀποθανεῖν ἔτι δύνανται. Quid? quod ex noſtra ſententia Salvatoris reſponſio plus roboris habet, quam ex auctoris. Idem enim eſt, atque ſi dixiſſet ſapientiſſimus Salvator: licet filii reſurrectionis corporibus iterum ſuis uſuri ſint, tantundem tamen hæc corpora ad propagationem conferent, quantum ſi omnino iis deſtituerentur, & in hoc ἰσάγγελοι omnino erunt. In toto igitur Salvatoris argumento nihil plane continetur, quod ulla ſpecie vel noſtræ ſententiæ adverſetur, vel auctoris patrocinetur.

Ex Lucæ vero capite XXIV. v. 39. nihil aliud ſequi videtur, quam diſcipulos, utpote Judæos exiſtimaſſe exſucca & tenuia adeo corpora ſpiritus eſſe, ut videri quidem poſſint, carnem vero & os non habeant, neque tangi adeo facile poſſint. Error iſte utcunque magnus, cum ſalutis tamen periculo conjunctus non erat. Quemadmodum patres fere omnes usque ad Auguſtinum in eadem ſententia fuiſſe conſtat, ad quos hic ipſe error a Judæis per traditionem perveniſſe videtur. Neque adeo opus erat, ut corrigeretur a Chriſto in diſcipulis, cum longe graviores illorum errores tuliſſe videatur. Quæ ſi non

ſa-

ſatisfaciant auctori, ipſe nunquam ſatisfaciet Anthropomorphitis ſuo errori ſacræ ſcripturæ auctoritatem prætexentibus.

Ad locum ex 1. Cor. XIII. 1. quod attinet, ex eo non colligi poteſt eſſe Angelis linguas, eſſe corporis membra: licet ea illis Scriptura vindicet. Nam & Deo humani corporis membra eadem ſcriptura tribuit, quæ tamen nemo prudens in Deo admiſerit.

§. 23. *Ad* §. *XVII.* Ex iis, quæ ſupra diximus, ſatis apparet omnia phænomena Angelorum explicari poſſe absque corpore proprio, & quidem longe facilius. Qualecumque enim corpus illis tribuas: tam parum conferre videtur ad miracula, quæ Angelorum opera perpetrata eſſe ſcriptura dicit, quam in miraculis Chriſti ſputo madefactum, oculisque cæcorum illitum lutum quicquam potuit. A corporibus minimis & ſubtiliſſimis nunquam ea derivari poterunt opera, quæ Angelis ſcriptura tribuit. Organa quoque eſſe in corporibus fluidiſſimis & rariſſimis, qualia ignis, æther, aër ſunt, videtur ab omni horum corporum natura abhorrere. Cum enim hæc fluidiſſima corpora ſint, ſingulæque partes perpetuo motu aliæ ab aliis ſejungantur, ἀσυστατον organorum ſyſtema cum hac fluiditate videtur. Quod ſi Angelorum corpora ſubtiliſſimos corporum ſolidiſſimorum poros facillime penetrare poſſint, ea atomos quosdam eſſe oportet, quæ nos in Angelorum phæ-

phænomenis expediendis nihil plane juvare poſſunt. Cui vero alienum a ratione non videatur, quod clariſſimus auctor exiſtimet, Angelos Protei inſtar modo Gigantis formam mentiri poſſe, modo tenuiſſimorum atomorum ſpecie omnes ſubtiliſſimos corporum poros perreptare. Iſta corporis Angelici extenſio atque contractio, ſive rarefactio & condenſatio, monſtri mihi ſimilis videtur. In ſubtiliſſimis corporibus rarefactioni locus eſſe nequit, niſi ſpatia vacua admittas, quæ non opus ſit a ſubtilioribus adhuc corporibus occupari. Idem ſentiendum de noſtris ex reſurrectione corporibus. Miror ego, quomodo organa locum habere poſſint in ejusmodi fluidiſſimis corporibus, qualia noſter auctor ex reſurrectione fingit futura. Aut quomodo hæc corpora, quæ tantum quidem a noſtro, quo jam utimur, corpore differunt, quantum natura corporea ferre poſſe videtur, noſtra dici poſſint, eademque cum iis quæ nobis in hac vita fuerunt. Nulla vero erit reſurrectio, niſi hujus noſtri corporis. Uti enim præclare Damaſcenus definit, reſurrectio non eſt, niſi τȣ πεπτωκότος δευτέρα στάσις. Eccleſia Chriſtiana in ſymbolis ſuis credit reſurrectionem carnis, & carnis hujus. Jobus XIX. 26. מבשרי אחזה אלוה. *Ex carne mea*, inquit, *videbo Deum.* In reſurrectione ἡ ζωὴ τȣ Ἰησȣ φανερωθήσεται ἐν τῃ θνητῃ σαρκὶ ἡμῶν 2. Cor. IV. 11. Quatenus Chriſti vir-

tute eadem quæ antea mortalis erat, ex reſurrectione immortalis erit caro. Ex quibus conſequitur, noſtrum corpus etiam ex reſurrectione carnem futurum non aërem, non ignem, non ætherem, quæ neque caro, neque corpora organica eſſe poſſunt. Quando igitur negat Paulus 1. Cor. XV. v. 50. τὴν σάρκα καὶ τὸ αἷμα βασιλείαν θεοῦ δύνασθαι κληρονομῆσαι: non carnis ſubſtantiam intelligit, ſed præjudicia & concupiſcentias ex carne. Ipſe Paulus graviſſimum ſui interpretem agit, quando ſubjicit οὐδὲ ἡ φθορὰ τὴν ἀφθαρσίαν κληρονομεῖ. Ex reſurrectione enim non tantum noſtra mens ſancta erit; ſed omnes etiam ſtimuli illi abolebuntur, qui ex carne cum oriantur, ſæpe in præſenti noſtram mentem in transverſum agunt Sic ad Galatas cap. I. v. 16. σὰρξ καὶ αἷμα non corporis & carnis ſubſtantiam, ſed præjudicia & concupiſcentia ſignificare videntur.

§. 24. Quod ad objectiones attinet, quas auctor §. 18. ſibi diluendas propoſuit: earum aliæ ita deſcriptæ ſunt, ut nemo ſanæ mentis, eas auctoris ſpeciali ſententiæ opponat: Aliis vero parum ſatisfeciſſe auctor clariſſimus videtur. Itaque nihil poteſt contra auctorem vel objectio ſecunda, cum carnem & oſſa ipſe ſuis neget Angelis. Iis vero recte opponitur, qui ex Scripturæ auctoritate exiſtimant, ſe Angelis tribuere poſſe humani corporis ſpeciem, adeoque etiam carnem & oſſa. Neque etiam tertia objectio auctori adverſatur,

tur, cum atomi quædam Angelorum corpora auctori videantur, facile unius hominis corpus aliquot dæmonum legiones capere poterit. Neque quicquam roboris quintæ objectioni, qualem quidem ipſe finxit, contra auctorem ineſſe videtur. Cum enim corpora in infinitum diviſibilia ſint, nulla ſubtilitas tanta eſſe poteſt, quin majorem adhuc ipſa corporum natura ferre poſſe videatur.

Quod vero ad primam attinet, veroſimilius videtur, quemadmodum ſcriptura cum ait πνευμα ὁ Θεὸς, Deum ἀσωματον eſſe vult, ita cum Angelos per πνευματα definit, eosdem etiam ἀσωματους eandem tradidiſſe. Diſſimile exemplum auctoris eſt. Cum enim ψυχη ſynecdochice totum hominem notat, non id fit in hominis definitione. Sed ſi ſcriptura Angelos Spiritus conjunctos corpori συμφυει exiſtimaſſet, in Angelorum definitione quæ ad Hebræos cap. I. v. 14. proponitur, non potuisſet non hujus corporis mentio fieri. Quis enim ferret hominis definitionem, in qua nulla mentio fieret corporis; Uti quarta objectio, quemadmodum proponitur, auctori vix adverſatur; nam neque mentes, neque corpora alias aut mentes aut corpora movere ſua virtute poſſunt, cum Deus omnia in omnibus agat, & moveat: ita plurimum valere mihi videtur recte propoſita. Quod ſi enim Deus ſalvis ſuis perfectionibus Angelis puris tantum concedere non poſſit ut in corpora operentur: neque id corporibus conce-

dere poterit, ut vel alia aliis motum impertiri vel mentem adficere poſſint. Lepide enim quod puris ſpiritibus negat, id corporibus tribuit clariſſimus auctor. Ac ſi corpora propius a divinis perfectionibus abeſſent, quam puri ſpiritus. Deinde etiam humanæ mentes, ut mentes, non differre videntur a puris ſpiritibus, neque corpora noſtra, qua corpora a puris corporibus. Quod ſi ergo ſalvis divinis perfectionibus ſpiritus puri movere corpora non poſſunt, neque noſtræ mentes ſua corpora poterunt. Sed de his nos ſupra prolixius egimus. Ex objectione quinta ſupra nos objecimus clariſſimo auctori, rationi adverſari, non quidem ob ſubtilitatem, ſed ob fluiditatem, ignem, ætherem, aërem ſubjectum eſſe poſſe organicæ ſtructuræ. Neque ratio ferre etiam facile poterit ejusmodi atomos Angelicos, neque cum iis conciliare ob quæ auctor Angelis corpora vindicat, multo minus Angelici corporis extenſionem, contractionem, condenſationem & rarefactionem. Sexta denique objectio magis etiam adverſatur auctori, quam ut eam tam facile diluere poſſit. Secundam enim ejusmodi quaſi corporis Chriſti & mortem & reſurrectionem, quam auctor fingit, tota ſcriptura ignorat.

§. 25. Ex quibus omnibus facile apparet ex auctoris ſententia nihil minus, quam plures difficultates diſparituras, & quam pluribus veri-

rita-

ritatibus lucem affuſum iri. Hæc enim omnia longe facilius ex noſtra ſententia illuſtrantur. Ex hac enim ratione Angeli ſubſtantiæ ſingulares & completæ ſunt, & longe facilius omnibus quibus volent corporibus aderunt, plusque poterunt, quam ex auctoris ſententia. Et longe expeditius, faciliusque & Angelorum, & ſi quæ ſint ſpectrorum, præſtigiarumque Satanæ rationes & phænomena explicari poſſunt. Ex noſtra enim ſententia omni noſtra imaginatione celerius nunc his nunc aliis præſentes eſſe poterunt corporibus, longeque expeditius operabuntur. Non enim ipſis quibus utuntur, ad operandum inſtrumenta ex ſingulis mundi plagis ad oppoſitas traducenda ſunt, ſed omnia quocunque velint eſſe loco, paratiſſima & facillima deprehendent. Itus reditusque, apparitiones, diſparitiones, viſibilitas, inviſibilitas, quod contrectare & contrectari, viſi ſunt, & reliqua omnia facillime ex noſtra ſententia explicantur. Dæmoniorum ruditas & acumen non tam a corporibus, quam ab idearum diverſitate, meditationis attentionisque aut diligentia aut negligentia, actionibus aut otio &c. pendent. *Si* quid tamen hic poſſit corpus: plus procul dubio poterit nexus ejusmodi univerſalior.

Radiis intellectualibus neque nobis opus eſt: neque ſi voces barbaræ recte explicentur, ab omni ratione abhorrent. Nihil enim per ejusmodi radios aliud intelligi facile poteſt,

quum nexus quidam, quo puri ſpiritus in pu. r os agere poſſe intelliguntur. Si Deus mens puriſſima, ſi noſtræ mentes ſeparatæ cœlo corporeo non dedecori, ſed ornatui potius ſunt, neque quicquam illius gloriæ decedet, ſed accedet potius ex Angelorum ἀσωμάτων præſentia. Societatis atque communionis, omnisque familiaris conſuetudinis ratio ex noſtra ſententia longe expeditior, paratiorque eſt. Neque commercium inter Angelos & nos, ſi quod adhuc eſt, ut olim futurum credimus, & aliquando fuiſſe non negamus, quicquam poſſe detrimenti pati, ex ſuperioribus cognoſcere licet. Neque nos dicimus Angelos creatos eſſe ante principium Moſaicum. Temere & ſine ratione ulla tuetur auctor Deum primo die lucem ex tenebris eduxiſſe Angelorum gratia. Si quid potuiſſe Angeli videantur in miraculis, id tam non Angelis tribuendum, quam miracula a Prophetis & Apoſtolis propria vi patrata non ſunt. Quin ex noſtra ſententia, ne pulviſculum quidem ſua virtute loco movere poſſunt Angeli, ne dum miracula edere.

§. 26. Ut igitur de tota hac diſſertatione libere, quæ mihi videantur dicam: præclare equidem de clariſſimi eruditæ hujus diſſertationis auctoris & doctrina, & ingenii acumine, & dicendi copia ſentio; nihil tamen ab eo usquam allatum puto, ex quo vero ſimilior, ne dum demonſtrata illa ſententia videa-

deatur, quæ Angelis propria corpora tribuit. Neque tamen unquam hunc qualemcunque laborem in me facile ſuſcepiſſem, niſi fautori & amico cedendum hac in re exiſtimaſſem. Ita tamen me in toto hoc argumento verſatum puto, ut nihil niſi veritatem quæſiviſſe videri poſſim. Si quod tamen verbum imprudenti, quod non opinor, exciderit, quo ſe læſum vir doctiſſimus recte arbitraretur, id nunquam dictum velim. De toto autem hoc argumento ita ſentio. Procul dubio eſſe alias creaturas & rationis compotes, & corporibus conjunctas præter hominem, quibusque domicilii loco reliqui planetæ, & alia forte adhuc cœleſtia corpora data eſſe poſſunt. Et præter has eſſe quoque poſſe Angelos, quos ita vocare cum ſcriptura ipſi quoque interdum gentiles ſolent, quorum opera Deus nonnunquam uſus fuiſſe ex ſcriptura intelligitur. Horum vero licet naturæ τὸ εἶδος (ut cum Damaſceno loquar) καὶ τὸν ὅρον μόνος ὁ κτίστης θεὸς ἐπίσταται. Eos tamen corpore proprio, non uti, non tantum non rationi adverſari, ſed veroſimile etiam videri. Certis tamen & omni exceptione majoribus rationibus neque ex ſcriptura neque ex ratione demonſtrari poſſe hanc ſententiam arbitror. Uti igitur facile quosvis in hoc argumento a me diſſentientes fero: ita ferri non poteſt, quod noſtram ſententiam doctiſſimus auctor erroris arguat, neque tamen gravioribus argumentis

ſuam ipſe ſententiam tueri poſſit, atque ſuſtinere. Niſi igitur quis majoribus & gravioribus argumentis, quam quæ hac diſſertatione allata ſunt, nitatur, cum non temere rebus novis ſtudendum ſit, non ab ea ſententia, quæ jam celebratur, eſſe diſcedendum arbitror.

## IV.

# *Joan. Georg.* SCHELHORNII Obſervatio De *Cultu Dei Rationabili* ad Rom. XII. 1.

## ARGUMENTUM.

Locus Rom. XII. 1. ex ſchola ſacrificiorum illuſtrandus §. 1. Voce παραστῆσαι quo ſenſu Paulus h. l. utatur ex mente Er. Schmidii & Vict. Strigelii? §. 2. Nobis reſpicere videtur Apoſtolus ad ritum ſacrificialem. §. 3. Quid inferat, ſiſtere ſe Deo victimam. §. 4. Cultus rationabilis, quo ſenſu? §. 5. Chriſtianorum λατρείαν λογικὴν opponit Paulus cultui ἀλόγῳ Judæorum quorundam & gentilium §. 6.

§. 6. Ethnicorum teſtimonia de optima Dei colendi ratione. §. 7. 8. 9. Gentilium ſaniores perſuaſi fuerunt improborum cultum Deo haud eſſe acceptum. §. 10. 11. Lucianus Dei cultum per ſacrificia ſalſe perſtrinxit. §. 12. Franc. Petrarchæ querelæ de proceribus eccleſiæ ſui temporis. §. 13.

§. 1.

DEum O. M. olim in V. T. ſacrificiis, Chriſtum, agnum immaculatum, pro peccatis totius mundi ſuo tempore immolandum, adumbrantibus cultum, iisque per fidem oblatis impenſe fuiſſe delectatum novimus. Sed & hoc nos non fugit, quum ille tandem apparuiſſet, ſeque in ara crucis victimam expiatricem pro univerſo hominum genere obtuliſſet, collibuiſſe eidem, aliam tum velut œconomiam in ſua domo, Eccleſia, conſtituere. Licet igitur non amplius victimarum gaudeat ſanguine, ſunt tamen alia quædam longeque pretioſiora ſacrificia, quibus jam unice coli velit. Nimirum hoc nomine divinis Novi Fœderis ſcriptoribus omnem Chriſtianorum cultum venire compertum eſt, indeque pronum, plurima eorum loca ex ſchola ſacrificiorum lucem mutuari.

§. 2. Ex hoc igitur fonte cenſemus illuſtrandum eſſe verbum παραςῆσαι, quod hoc loco non eſt, ita nos ſiſtere, ut adſtemus

 tan-

tanquam ſervi, obſervantes ejus nutus, cui παριςανόμεθα, ad obtemperandum promtiſſimi, prout exiſtimare videtur Eraſmus Schmidius. Non equidem inficias eo, quod genuinum Servatoris aſſeclam mandatis Domini morem gerere deceat: nec hoc ignoro, vocem παριςάναι nonnunquam hoc ſenſu venire; ſed id duntaxat volo, ipſo contextu permotus, Apoſtolum haud morem illum ſervorum in animo habuiſſe. Multo minus autem verba Pauli huc tendunt, ut nos tanquam in acie collocati jungamus Deo corpora noſtra, nec φιλοψυχίᾳ nimioque vitæ amore frangamur, ut ſtationem deſeramus; ac ſi Apoſtolus alluſiſſet ad παραςάτην & manipularem, ſeu eum, qui in acie propter alterum conſiſtit, quæ Victorini Strigelii eſt ſententia in Hypomnem. SS. Verus Scripturæ ſenſus, non quilibet ſenſus eſt, quem verba patiuntur, & forte in animo legentis excitant, neque etiam quæcunque ſententia, quæ vera eſt ipſa per ſeſe, ſed ea demum, quæ vere a loquente in quolibet loco eſt intenta. Poteſt enim aliquid eſſe in ſe veriſſimum, & neque verborum ſignificationi, neque aliis Scripturæ locis repugnans: quod tamen Scriptor θεόπνευςος, & per eum ipſe Dei Spiritus, hoc tempore & loco hisque verbis minime ſignificare voluit. Hæc meritiſſimo ſuo divinarum literarum interpreti inculcat Vir Celeber-

berrimus Sam. Werenfelſius, cui & nos lubentes ſubſcribimus. (a)

§. 3. Certo certius eſt, reſpexiſſe Paulum eum ritum, quo victima olim tum apud Judæos, cum etiam gentiles ad aras ante faciem Dei conſtituebatur. Hadr. Relandus (b) requiſitum fuiſſe ante omnia commemorat, ut victima adduceretur a domino, qui eam Deo oblaturus erat, & conſtitueretur ante faciem Domini: olim quidem ante oſtium tabernaculi, i. e. in atrio Levit. I. 3. poſtea in atrio interiori templi לפני יהוה coram facie Dei: ubi & de ipſis Levitis, qui agitandi fuere, ut ſacrificium תנופה agitationis, & quibus manus imponebantur, bis dicatur הקרבת לפני יהוה duces eos in conſpectum Dei Num. VIII. 9. (adde παραστῆσαι τῷ κυρίῳ uſurpari de primogenito, Domino oblato conſecratoque Luc. II. 22.) Et hinc verba Pauli illuſtranda jure cenſet. Græci enim hoc nominabant προσάγειν, παριστάναι. Lucianus περὶ θυσιῶν: θέμενοι δὲ βωμοὺς καὶ πορρήσεις, καὶ περιῤῥαντήρια ΠΡΟΣΑΓΟΥΣΙ ΤΑΣ ΘΥΣΙΑΣ: tum autem conſtitutis aris, deſignatis ſacrorum ſeptis, puris vaſis collocatis, victimas offerunt, & paulo poſt: Jam vero Scytha, reliquis omnibus hoſtiis

(a) In Diſſertat. de Scopo, quem S. Scripturæ interpres ſibi proponere debet. p. 372. Opuſculorum, Baſileæ 1718. in 4. junctim editorum.

(b) In Antiquit SS. vett. Hebr. pag. 274. edit. Lipſienſis.

hoſtiis omisſis, ut quas viles atque humiles exiſtimet, ἀυτὰς ἀνθρώπους τῇ Αρτέμιδι ΠΑΡΙΣΤΗΣΙ, ipſos homines mactat Dianæ. ibid. ΠΡΟΣΑΓΟΥΣΙ ΤΩΙ ΒΩΜΩΙ, καὶ φονεύουσιν ἘΝ ὈΦΘΑΛΜΟΙΣ ΤΟΥ ΘΕΟΥ, ad aras applicant, ac ſub oculis Dei (Hebræi לפני יהוה dicunt) jugulant. Philippus in Epigramm. Anthol. Gr. L.I. C. XXXIII.

Νηδύϊ βεβριθομένην δάμαλιν Λητωΐδῃ κούρῃ
ΣΤΗΣΑΝ νηοκόροι, θῦμα χαριζόμενοι.

interprete H. Megiſcero:

Ante aras gravidam æditimi ſtatuere juvencam,
Eſſet uti Triviæ victima grata Deæ.

Æſchines Orat. contra Cteſiphontem f. 291. ἐνῆρκται μὲν τὰ κανᾶ, ΠΑΡΕΣΤΗΚΕ δὲ ΤΟΙΣ ΒΩΜΟΙΣ ΤΑ ΘΥΜΑΤΑ, μέλλετε δ' αἰτεῖν τοὺς θεοὺς τ' ἀγαθὰ καὶ κοινῇ καὶ ἰδίᾳ. Jam quidem caniſtra ſunt initiata, victimæ aris adſtant, felicitatem a Diis optaturi eſtis publice & privatim. Quo ſenſu etiam Græci haud raro accipiunt verba προσφέρειν, καὶ προσκομίζειν, quanquam ea ſæpe de oblatione rerum inanimatarum, frugum v. g. uſurpari non negem. Latinis ſcriptoribus frequentia ſunt *ſiſti*, *conſtitui ante aras*, *duci ad aras*, *admoveri aris*, & ſic porro: cujus rei innumera proſtant in veteribus exempla.

§. 4. Meo judicio Chriſtianum, qui ſe juxta Pauli adhortationem Deo παριστήσι θυσίαν, com-

commode dixeris verbis Euſebii: (c) ἑαυτὸν ὅλῳ καθιερῶντα αὐτῷ, καὶ τῷγε Ἀρχιερεῖ αὐτοῦ λόγῳ, αὐτῷ σώματι καὶ ψυχῇ ἀνακείμενον h. e. ſe ipſum totum ei conſecrantem, ejusque Pontifici, ipſi utique verbo, corpore animoque dicantem. Proinde (pergit ibi Euſebius) ab omni obſcœnitate corpus intactum atque immaculatum eidem conſervare ſtudemus, omnique affectu atque omni fœditate, quæ a malitia proficiſcetur, purgatam mentem illi reddimus, cogitationibusque ſinceris & affectione non ficta, veritatisque decretis illum colimus. Grata enim illi hæc eſſe magis, quam hoſtiarum magnum numerum, quarum ſanguine & fumo & nidore operemur, edocti ſumus. Adde, ſi lubet, eximia verba Cyrilli Alexandr. L. X. contra Julianum. f. 345. En tibi in uno ſubjecto, fideli nempe Chriſtiano, ſacerdotem & victimam ſpiritualem! Unde Photius Epiſt. I. ad ſuum principem f. 25. δύναιο δ᾽ ἂν καὶ σὺ, βουληθεὶς, κάλλιστον ἀντουργῆσαι θεῷ θῦμα καὶ ἐρασμιώτατον, βίον αὐτῷ καλλιερούμενος καθαρὸν, καὶ διανοίας ὀρθότητα, interprete Rich. Montacutio: Poteris autem, modo animus adſit, & tute per te pulcherrimum Deo offerre ſacrificium & delectabile, ſi vitam ipſi puram & animum rectum pulchre obtuleris.

§. 5. An modum per ſacrificia Deum colendi ipſa ratio protoplaſtis dictaverit, multum

(c) Demonſtrat. Evangel. L. I. C. X. f. 40.

tum inter eruditos ſemperque diſceptatum fuit, aliis in affirmativam, aliis in negativam abeuntibus ſententiam. Actum agerem, ſi huic argumento multis inhærere conſtitutum eſſet: ablegabo te ſaltim ad τȣ̃ πάνυ J. F. Buddei, quo præceptore, dum in Academia Jenenſi verſarer, me fuiſſe uſum, in maxima felicitatis parte pono, Hiſtor. Eccleſ. V. T. P. I. pag. 143. ſeqq. qui hanc rem breviter quidem, ſed more ſuo ſolidiſſime diduxit, autoresque huc pertinentes commendavit. Animo meo hæc ſedet ſententia, Deum primis noſtris parentibus poſt lapſum cultum per ſacrificia, Meſſiam figurantia, præcepiſſe, quem dein κακοζηλία Satanæ in gentibus ſibi imitandum propoſuit. Cum vero infelix paganorum turba nullam prorſus θεανθρώπȣ Soſpitatoris habuerit notitiam, neſcio, an alio luculentius documento oſtenderit, quam excœcata veſanaque mente eſſet. Fides ſola in Meſſiam omne pretium ſacrificiis, quod alias nullum erat, conciliavit. Quid enim quæſo rationi minus conſentaneum, exiſtimare, Deum immortalem fuſo brutorum animantium cruore carnibusque exuſtis placari? Quid magis abſurdum, quam credere, victimarum irrationalium innocentiumque ſanguinem abluere peccata, quæ petulans & malignus homo in Deum commiſit? Agnovit id jam Dionyſius Cato, ipſe ethnicus, his uſus verbis:

cum

Cum ſis ipſe nocens, mo:itur cur victima pro te?

Ratio mihi injungit, ut Creatori meo Conſervatorique me cum omnibus meis facultatibus totum conſecrem, ejusque honori quibusvis meis cogitationibus, verbis & actionibus litem. Is eſt cultus rationalis, hæc λατρεία ἡ λογικὴ, quam Gentium Doctor Paulus ſuis Romanis inculcat. Recte, ſi quid judico, Jac. Faber Stapulenſis in h. l. jubet Paulus, nos Deum rationaliter colere. Sed quo modo rationaliter colemus: niſi cum orantes & adorantes corpora noſtra vitiis mortua, & juſtitiæ viva, hoſtiam vi entem ſanctam, i. e. puram & mundam, beneplacentem illi præſentamus?

§. 6. Non eſt quod metuamus, ne quid Socinianis dandum ſit, ſi λατρείαν τὴν λογικὴν reddere velimus per cultum rationabilem. An forte concedendum erit, Chriſtianorum cultum, quem Apoſtolus nervoſe hic delineat, rati ni minus eſſe c nſentaneum? Credo, quod nemo ſanus iſtud facile dixerit. Quæ igitur neceſſitas nos cogit, a famoſiori τῦ λογικῦ ſignificatu abire? Nullam video. Nil ergo obſtat quo minus aſſeramus, Paulum cultum Chriſtianorum hac voce e diametro opponere perverſo gentilium & quorundam Judæorum cultui, prorſus ἀλόγῳ. Nam Judæos quod attinet, eorum multi in abſurdam hanc opinionem jam olim delapſi

fuerunt

fuerant, ſe, licet cuivis impietati ſedulam navarent operam, tamen Deum brutorum victimis, ſine ulla fide in Meſſiam oblatis, ſibi rurſus propitium reddere poſſe: adeoque illorum ſacrificia nonniſi operis, quod vocant, operati rationem habuerunt. Qua quidem re quid dementius, quid ab omni ratione alienius ſit, non perſpicio. Ne autem eis multa affingere videar, provoco ad Pſ. L. Jeſ. I. Jerem. VII. 21. Malach. II. 13. Mich. VI. 6. 7. &c. Id enim, quod aſſerui, inſigniter comprobant omnia loca, quibus Deus Judæorum ſacrificia abominatur: fide enim ſi oblata fuiſſent, non potuiſſent ei non eſſe gratiſſima, ſicut v. 9. Habelis Gen. IV. 4. aliorumque piorum. Huic ergo irrationabili cultui opponit Paulus rationalem, quo quis ſeipſum Deo ſiſtit victimam, ſeque totum ſanctæ ejus voluntati tradit, paratus, iſti pura & caſta mente ſervire. Hic eſt cultus, λογικος quod Philo Judæus agnovit, cujus in ſcriptis præclara exſtant rei documenta, heic tamen brevitatis ergo non proferenda. Præterea cum jam victima piacularis, Meſſiam volo, pro peccatis mundi mactata eſſet, ſacrificiis, in eam olim reſpicientibus, non amplius opus erat; quin potius illo tempore iſtiusmodi cultus plane irrationabilis fuiſſet; ſiquidem corpore ipſo accedente umbræ nulla jam habetur ratio; antitypo ipſi apparenti typus locum cedit.

§. 7.

§. 7. Gentilium vero ἐθελοθρησκείαν quis, niſi emotæ prorſus & profligatæ mentis ſit, dubitet, omnino ἄλογον extitiſſe? Ipſi profecto ſapientiores ethnici hujus rei veritatem ingenue confiteri haud erubuerunt, agnoſcentes Deum pura & ſancta mente, non vero ſacrificiorum nidore venerandum eſſe, quamvis eos latuerit via ad purificationem animæ perveniendi, & vera ratio, Deo ſe per fidem offerendi. Tantum abeſt, ut de teſtimoniis id comprobantibus anxie nos ſollicitos eſſe oporteat, ut potius nimia eorum copia laboremus. In tam ubere itaque & fæcunda ſententiarum, quæ ſe nobis offerunt, ſegete pauculas tantum decerpemus. Cicero L. II. de Nat. Deor. Cultus Deorum, inquit, eſt optimus, idem caſtiſſimus, pleniſſimusque pietatis, ut eos ſemper pura, integra, incorrupta & mente & voce veneremur. Præclare Iſocrates ad Nicoclem p. 34. ἡγοῦ τοῦτο εἶναι θῦμα κάλλιστον, καὶ θεραπείαν μεγίστην, ἐὰν ὡς βέλτιστον καὶ δικαιότατον σεαυτὸν παρέχῃς. μᾶλλον γὰρ ἐλπὶς τοὺς τοιούτους ἢ τοὺς ἱερεῖα πολλὰ καταβάλλοντας πράξειν τι παρὰ τῶν θεῶν ἀγαθόν. Id pulcherrimum ſacrificium & cultum eſſe maximum exiſtima, ſi ipſe te quam optimum & juſtiſſimum præbeas. Major enim ſpes eſt, Deos immortales talium vota audituros, quam eorum, qui multas victimas proſternunt. Hinc & Crates apud Julianum Imp. Orat. VII. f. 213.

Ἀλλὰ δικαιοσύνης μετέχειν καὶ πλοῦτον ἀσινῆ
Εὔφρον, εὔκτητον, τίμιον εἰς ἀρετήν.
Τῶν δὲ τυχῶν, Ἑρμῆν καὶ Μούσας ἱλάσομ' ἁγνὰς
Οὐ δαπάναις τρυφεραῖς ἀλλ' ἀρεταῖς ὁσίαις.

i. e. Sed juſtitia particeps eſſe, & opes innoxias, tolerabiles, parabiles, pretioſas ad virtutem (volo.) Eas nactus, Mercurium & Muſas propitiabo caſtas, non impendiis luxurioſis, ſed virtutibus ſanctis. Ubi deinde Julianus: πᾶσαι γὰρ ἑκατόμβαι τῆς ὁσίας εἰσὶν ἀντάξιαι. Nam hecatombæ nullæ cum ſanctitate comparandæ ſunt.

§. 8. Egregie quoque Menander Comicus (d) apud Clementem Alex.

Εἴ τις δὲ θυσίαν προσφέρων, ὦ Πάμφιλε,
Ταύρων τι πλῆθος ἢ ἐρίφων, ἢ νὴ Δία
Ἑτέρων τοιούτων, ἢ κατασκευάσματα,
Χρυσᾶς ποιήσας χλαμύδας, ἢ τοι πορφυρᾶς,
Ἢ δι' ἐλέφαντος ἢ σμαράγδου ζώδια,
Εὔνουν νομίζει τὸν Θεὸν καθιστάναι,
Πεπλάνητ' ἐκεῖνος, καὶ φρένας κούφας ἔχει.
Δεῖ γὰρ τὸν ἄνδρα χρήσιμον πεφυκέναι κ. τ. λ.

Offerre ſi quis poſtulet victimam,
Tauros vel hædos, Pamphile, aut ejusmodi
Aliud quid: aut ex arte quod factum ſiet,
Aurata nempe pallia aut ex purpura,

Ani-

(d) Lib. V. Stromat. f. 605. edit. Colon. 1688.

Animalia adde eburnea aut ſmaragdina:
Placare & iſtis poſſe numen autumat;
Næ falſus animi eſt, ac ſiniſtra mens ei.
Nam vir neceſſe eſt ſit probus præ cæteris &c.

Conferri etiam merentur, quæ p. ſq. ex eodem comico affert Clemens, qui & paſſim in ſuis ſcriptis huc facientia ſuppeditat. Lectu præprimis digniſſima ſunt, quæ eam in rem L. VII. Strom. f. 716. ſqq. ex priſcis præſertim autoribus adducit, ut erat Vir in eorum lectione verſatiſſimus. Conſentanea his ſunt verba Dionis Chryſoſtomi; (e) σωφροσύνη καὶ νοῦς ἐστὶ τὰ σώζοντα, ταῦτα ποιεῖ τοὺς χρωμένους μακαρίους, ταῦτα τοῖς θεοῖς προσφιλῆ. οὐχὶ λιβανωτὸς, οὐδὲ σμύρνα πόθεν, οὐδὲ ῥίζαι καὶ δάκρυα δένδρων, οὐδὲ Ἰνδῶν καὶ Ἀῤῥάβων φρύγανα. Modeſtia ſapientiaque ea ſunt, quæ conſervant, ea faciunt utentes beatos, ea Diis ſunt accepta: non thus, neque myrrha alicunde, neque radices, neque arborum lacrymæ, neque Indorum aut Arabum ſarmenta.

§. 9. Pereleganter Seneca: (f) Primus eſt Deorum cultus, Deos credere: deinde reddere illis majeſtatem ſuam, reddere bonitatem, ſine qua nulla majeſtas eſt. - - Vis Deos propitiare? bonus eſto. Satis illos coluit, quisquis imitatus eſt. Perſius: (g) at vos



(e) Orat. 33. in Tharſica priore.
(f) Epiſt. 95. f. 604. edit. Juſt. Lipſii.
(g) Satyr. II. v. 71. ſqq.

Dicite Pontifices, in ſacris quid facit aurum?
Quin damus id ſuperis, de magna quod dare lance
Non poſſit magni Meſſalæ lippa propago,
Compoſitum jus fasque animo, ſanctosque receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto:
Hæc cedo, ut ad moveam templis, & farre litabo.

confer, ſi vacat, Plinii Panegyr. & ea loca, quæ ibi añotavit Lipſius,(h) it. Hieroclis Commentar. in Pythagoræ carmina aurea. (i) Euſebii Præparat. Evang. (k) J. Spencer. de legib. Ritual. Hebr. (l)

§. 10. Præcipue vero ſaniores gentilium ſibi perſuadere nequierunt, quod impiorum & malorum cultus, magno licet pretio ſteterit, Deo gratus acceptusque eſſe poſſit; ut plerique, ſi non opinabantur, at praxi ſua teſtatum faciebant. Unde Zaleucus apud Meliſſum: (m) οὐ τιμᾶται θεὸς ὑπ' ἀνθρώπου φαύλου, οὐδὲ θεραπεύεται δαπάναις, οὔτε τραγῳδί-

αις

(h) In Comment. f. 250. Tomi II. Opp.
(i) p. 22. ſq. edit. Pet. Needham. Cantabr. 1709.
(k) L. IV. c. X. ſqq. f. 148. ſqq. add. Demonſtr. Evang. L. III. f. 105.
(l) L. III. Diſſ. H. C. I. S. III. p. 954. edit. Lipſienſ.
(m) Orat. 55. L. I.

αι τῶν ἀλισκομένων, ἀλλ' ἀγαθῇ προαιρέσει τῶν καλῶν ἔργων καὶ δικαίων. Deus non colitur ab homine malo, neque placatur ſumtibus, neque tragœdiis captorum, ſed bona voluntate bonorum & juſtorum operum. Sic Plato in Alcibiade primo: Καὶ γὰρ ἂν δεινὸν εἴη ἡ πρὸς τὰ δῶρα καὶ τὰς θυσίας ἀποβλέπουσιν κακῶν οἱ θεοὶ, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὴν ψυχὴν ἄν τις ὅσιος καὶ δίκαιος ὢν τυγχάνῃ. Etenim abſurdum eſſet, ſi Dii dona & victimas malorum reſpicerent, non vero animam, an quis ſanctus juſtusve ſit. Cicero de Leg. L. II. Impius ne audeto placare donis iram Deorum. Seneca: (n) Nec in victimis quidem, licet optimæ ſint, auroque profulgeant, Deorum eſt honos: Sed pia ac recta voluntate venerantium. Itaque boni etiam farre ac fitilla religioſi ſunt; mali rurſus non effugiunt impietatem, quamvis aras ſanguine multo cruentaverint. Ælianus in fragmentis: Παρὰ δὲ μιαροῦ δῶρα οὔτε ἄνδρα ἀγαθὸν, οὔτε θεὸν ἐςὶ [illegible] τόχε ὀρθὸν δέχεσθαι. μάτην οὖν περὶ θεῶν ὁ πολὺς ἐςὶ πόνος τοῖς ἀνοσίοις, τοῖς δὲ ὁσίοις εὐκαιρότατος, Πλάτων φησί. Ab homine impuro nec virum bonum nec Deum unquam, recte atque ordine ſi fiat, dona accipere, ideoque labor impiorum circa Dei cultum fruſtraneus eſt, piorum vero quam maxime opportunus, ut Plato ait.



(n) L. I. de *Beneficiis* f. 266.
(o) per Joach. Kuhnium collectis p. 813.

§. 11. Nec latuit hoc Julianum, in eam rem ſic diſſerentem: (p) Ἢ τοῦτό σε λέληθεν, ὅτι πάντα καὶ μεγάλα καὶ σμικρὰ μετὰ τῆς ὁσίας τοῖς θεοῖς προσαγόμενα τὴν ἴσην ἔχει δύναμιν, ἐστερημένη δὲ τῆς ὁσίας οὐχ ἑκατόμβη νὴ θεοὺς, ἀλλὰ ἡ τῆς Ὀλυμπιάδος χιλιόμβη ἀνάλωμα μόνον ἐστί, ἄλλο δὲ οὐδέν; Num hoc ignoras, quæcunque cum ſanctitate Diis obtuleris, ſeu parva ſeu majora, tantidem apud illos haberi? remota vero ſanctitate, non ſolum hecatomben, ſed chiliomben etiam Olympiadis, nihil præter inanes ſumtus eſſe? Huc etiam tendit fabula Phædri de Milvo ægrotante. (q) Quæ cum ita ſint, mirandum eſt, moris tamen fuiſſe pleriſque, pollutis manibus & impuriori animo ad aras Deorum, quos ſibi finxerant, accedere, doniſque deteſtabilem malitiæ labem velandam ſibi ſumere. Vidiſſes olim monſtrum illud hominis, Neronem, recentem ab incendio Romæ, a Diis petere piacula; quanquam nec ope humana, nec largitionibus illius, aut Deum placamentis, deceſſerit infamia, quin juſſum ab eo incendium crederetur. Tantum abeſt, ut tum nequiſſimus ille ſævum exuerit animum, ut potius paulo poſt, teterrimæ crudelitatis explendæ gratia, quæſitiſſima in Chriſtianos excogitaverit ſuppli-

cia

(p) Orat. VII. f. 213. edit. Ezech. Spanhemii.
(q) p. 125. edit. *Amſtelod.* 1703.
(r) Tacitus Annal. L. XV. p. 364. edit. Lugd. Batav. 1599.

cia. Perſarum equidem Reges, priusquam ſacra facerent, de pietate verba feciſſe, teſtatur Stobæus: (s) Attamen eſt, quod mireris, illis uno tantum die, quo Mithræ ſacrificabant, licitum fuiſſe, ad ebrietatem usque vino Chalybonio, quo ſolummodo utebantur, indulgere. (t) Quaſi vero cultus divinus & ſacrificia impunem peccandi licentiam exhiberent.

§. 12. Hinc facile perſpicimus, Luciano graves haud defuiſſe rationes, ἄλογον gentilium cultum tam ſalſe perſtringendi, omniumque exponendi riſui, in libello de ſacrificiis. Dabimus quædam ejus verba: Οἱ θεοὶ παρ' Ζηνὶ καθήμενοι, ἀποσκοποῦσιν ἐς τὴν γῆν κ. τ. ε. Dii juxta Jovem aſſidentes, in terram deſpiciunt: & quoquoverſum intento capite circumſpectant, ſicunde ſubvolantem ignem videant, aut nidorem in aëre ſurgentem, circaque fumum rotantem ſeſe. Quod ſi quis forte ſacrum faciat, epulantur omnes, fumo inhiantes, ac muſcarum in morem ſanguinem exugentes circum aras effuſum. Et ita profecto eſt, qui gentilium ἐθελοθρησκείαν paulisper ſaltem & ὡς ἐν παρόδῳ fuit contemplatus, is extremam ejus ἀλογίαν ultro confitebitur. Deo O. M. ſint gratiæ, quod nos ex ſpiſſis illis tenebris in lucem ſuam tranſtulerit!



(s) Sermon. XLII. ex Serino.
(t) Barn. *Briſſon.* de Regio Perſarum principatu L. I. §. 84. p. 130. edit. J. *H.* Lederlini.

Eja offeramus nos totos immenſæ iſtius gratiæ, conſecremus, quicquid in nobis eſt, ejus gloriæ! Quem enim Chriſtianorum non pudeat, in tanta luce cœcutire?

§. 13. Non recedemus ſine corollario. Haud dividiæ erit, Franciſci Petrarchæ (u) verba, quibus eccleſiæ proceres ſui temporis incuſat, penſitare: Faceſſat, oro, jam tandem aurum templis inutile, & in alia templa Dei, hoc eſt, in uſus hominum egentium conferatur. Sit Chriſti charitas, quæ ſeculi pompa eſt, nec ſemper ſub obtentu devotionis idololatriæ ſerviatur. Neſcitis, quod avaritia eſt idolorum ſervitus? Nulla tot idolis gens abundat, nulli convenientius dicitur: Cavete a ſimulacris. —— Nolite, Pontifices, excuſationes frivolas aucupari, aut ſub Chriſti nomine pabulum avaritiæ, & veſtris alimenta furoribus aggregare. Chriſtus veſtro auro non eget, nec veſtris ſuperſtitionibus delectatur; puri ac nudi cordis eſt, appetens piorum actuum, honeſtarum cogitationum, & humilium voluntatum. Quis inter hæc auro locus? Nolite miſeri curare, quam ſuperbe ſacrificetis, quam ornate, quam ſplendide, ſed quam pie, quam humiliter, quam caſte, quam ſobrie. Sacrificate, quod diru-

(u) Epiſt. Familiar. L. VI. Epiſt. I. quæ tota omnino perlegi meretur, p. 196. edit. Lugdun. 1601. in 8. Ex doctiſſimi hujusce Viri ſcriptis plura egregia veritatis teſtimonia peti poſſunt.

diruptis vinculis liberatori ſuo Rex propheta ſacrificat, hoſtiam ſcilicet laudis; ſacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate non in auro, ſed in Domino. Audite Pſalmiſtam, ſurdi, diebus ac noctibus clamantem: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Quid hic opus eſt auro? Spiritu opus eſt, eoque nonniſi contribulato, opus eſt corde, ſed contrito & humiliato. Hoc eſt ſacrificium Deo gratum, atque homini ſine terrarum effosſione parabile. Submiſſo & immaculato opus eſt animo. Contra nec terſo, nec rudi auro opus eſt. Hæc Petrarcha.

V.

# Problema Theologicum De *Interceſſione beatorum particulari* reſolutum a *Juſto Martino* GLÄ-SENER, Hildeſienſi.

§. 1.

PRoponimus Problema aliquod in controverſiis de ſanctorum invocatione ac interceſſione inter Proteſtantes ac Pontificios agitatis, non facile obvium. In genere, nulla interceſſionis ac invocationis ſanctorum, cum in Veteri Teſt. tum in duobus prioribus ſeculis Novi Teſt. deprehendimus veſtigia, ſi ſomnium illud Judæ in Libris Apocryphis notatum 2. Macc. XV. 12. excipiamus. Primus fuit Origenes, qui a quodam ſeniore ſe didiciſſe, ſanctos una nobiscum Deum precari, ajebat. Ori-

Originem excepit Cyprianus, qui ſuperſtites Epiſtola LVII. oravit: *Si quis illorum prior divinæ dignationis celeritate, præceſſerit, ejus pro fratribus & ſororibus apud miſericordiam patris ne ceſſet oratio*; quorum opinionem poſtea Athanaſius, Euſebius, Hilarius adoptarunt, notante Joh. Henr. Heideggero in Anatome Conc. Trid. Hiſtorico-Theol. p. 1085. Nulla expresſa fit mentio an in genere, an in particulari pro viventibus intercedant. In genere ſanctos cum Chriſto in cœlo triumphantes pro Eccleſia orare, cum norint neceſſitates fidelium, illos in multis verſari periculis præſertim tempore perſecutionum, multi Proteſtantium Theologi concedunt; particularem interceſſionem ob ignorantiam neceſſitatum unius alteriusve individui recte illis denegant, fremente licet Bellarmino, qui Tom. I. Opp. Lib. I. De Beat. ſanct. c. XX. reſp. ad arg. 3. *Non eſt verum*, ait, *quod adſumitur*, *ſanctos ignorare, quid ab illis petamus. Nam etſi dubitatio eſſe poſſit, quemadmodum cognoſcant abſentia, & quæ ſolo cordis affectu proferuntur*, *tamen certum eſt eos cognoſcere.*

§. 2. Demus itaque beatos & generalia & particularia, quæ hic in terris gerantur, neſcire, inde tamen non fluit, ſanctos pro uno alterove individuo Deum precari, cum cognitionem neceſſitatis in hac vita habuerint, non poſſe; neque proinde omnem particularem

in-

interceſſionem rejicimus ac cum Joh. Henr. Heideggero l. c. ad quatuor cauſas, ut ſunt 1) Platonis dogmatis imitatio, 2) ſomnium Judæ in Scriptura Apocrypha notatum, 3) miracula ad Martyrum memorias facta, 4) falſo jactatæ animarum apparitiones, revocamus; ſed fundamentum in ipſa re quærimus, magnamque vim illi, ſi rerum & cauſæ cognitio in hac vita præceſſerit, tribuimus. Ut hoc eo melius nobis pateſcat, Problema nobis reſolvendum erit ſequens: *An homo moriens, de ſua ſalute certus uni certoque individuo promittere poſſit, ſe in altera vita Deum oraturum, ut operi ipſius incepto benedicat fortunatosque reddat labores.* Quod ut eo accuratius reſolvatur, tres partes hic nobis conſiderandæ veniunt: 1) an beati dictorum in hac vita atque factorum poſt hanc vitam memores eſſe & ideas cognitas adhuc habere poſſint, 2) an beati pro vivis orare poſſint, 3) quid de illis precibus ſtatuendum, effectumne habeant, necne: ita tamen, ut ſcopulos papales ubique evitemus, contrarium ex ipſorum ſcriptis oſtendamus, *quia veritatis maximum & irrefragabile eſt argumentum, cum quis inimicos in eorum, quæ dicit, teſtimonium adducit, ut Chryſoſt. Homil. LXXXII. in Joh.* loquitur.

§. 3. Palmarium hujus Problematis, ex quo reliqua facile diducuntur, eſt: *An beati dictorum in hac vita atque factorum poſt hanc vitam adhuc memores ſint, ideas cognitas adhuc habeant;*

quod,

quod, ſi eſſentiam ac vim animæ inſpexerimus, affirmamus. Animam enim ita definimus: Quod ſit ſubſtantia univerſi repræſentativa pro ſitu corporis organici in mundo. Subſtantia autem eſt ens quod in ſe habet principium ſuarum mutationum; ex quo ſequitur; animam propria vi actiones ſuas producere, neque illas aliunde accipere. Si hoc, anima etiam poſt mortem operatur, quæ tantummodo harmoniam ac commercium inter corpus & animam tollit, cum per mortem animæ, ut ſubſtantiæ per ſe operantis, nihil decedat neque a corpore dependeat aut mediante illo ideas recipiat, ſed easdem eſſet habitura, etiamſi hoc univerſum realiter non exiſteret, ut a Carteſio & ante ipſum ab Idealiſtis jamdudum eſt obſervatum. Ridenda igitur tabula raſa Ariſtotelis & Lockii, qui animæ vim propriam producendi ideas denegant, illas autem extrinſecus animæ imprimi credunt. Animam vero producere ideas, repræſentationi mundi corpori factæ conſentaneas, ex ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ ſatis liquet, quod animæ propriam vim ſibi mundum repræſentandi, operationes corporis ipſius artificioſiſſimæ ſtructuræ adſcribit ſapientiamque Dei admiratur, ut pluribus Celeb. Wolffius in Cogitat. Ration. de Deo, Mundo & Anima hominis cap. V. §. 765. ſqq. proſequitur.

§. 4. Cum mors vim animæ non deſtruat, (per

(per §. præced.) ſed alia objecta contemplanda tantum proponat, illam uti in hac vita ſic etiam poſt hanc vitam præteritorum recordari poſſe patet, & ſic ſtatum perſonalitatis, qui eſt fundamentum immortalitatis, in anima deprehendimus, quo ſtatuum præteritorum ſibi conſcia eamque in hoc vel illo ſtatu fuiſſe certo ſcit atque cognoſcit: Niſi enim hoc, neſciret poſt hanc vitam an jam tum vixerit, facta vel præmiis vel pœnis digna perpetraverit. In beſtiis autem ſtatum perſonalitatis non deprehendimus, quippe quæ intellectu & cognitione rerum univerſali deſtituantur, & ſic præterita in memoriam revocare illosque in hoc vel illo ſtatu fuiſſe poſt hanc vitam cognoſcere non poſſe, certo colligimus, proinde ſunt mortales. Conf. Wolffius l. c. §. 923. ſqq. Homines igitur cum ſint perſonæ, illos vitæ actæ recordari neceſſe eſt, ex quo magna differentia inter homines & beſtias elucet. Habemus quoque conſentientem ſcripturam. Sic dives epulo de fratribus erat ſollicitus illorumque non immemor, ne in locum tormentorum venirent. Luc. XVI. 28. & Apoc. VI. 10. animæ interfectorum propter verbum Dei clamabant: *Usque quo Domine non judicas & vindicas ſanguinem noſtrum de iis qui habitant in terra?*

§. 5. Ex nexu quoque hujus & alterius vitæ problema hocce eſt reſolvendum, hæc enim & altera vita ut una ſpectanda, licet

ſta-

ſtatum prorſus diverſû ſecum ferat. Cujus ſtatus ratio in alio quærenda, non ut duo, ſed ut unus ſtatus eſt conſiderandus. Rationem itaq; alterius vitæ in hac vita quærimus, ex qua dijudicamus an quis præmiis vel pœnis ſit dignus. Hic nexus arctiſſimus inter hunc & alteram vitam innuit, nos ideas in hac vita cognitas retinere, dictorum omnium ac factorum recordari poſſe. Accedit porro quod cognitionem noſtram, quam de rebus in hac vita conceperimus, non ſimus amiſſuri, (per §. 3.) ſed potius cognituri an veram rectamque illarum rerum habuerimus notitiam, juxta effatum Paulinum 1. Cor. XIII. 10. *Cum venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt.*

§. 6. Nexum hunc plenius & uberius probat ita Scriptura S. quæ pœnam & præmia juxta dicta & facta hominum conſtituit, Paulus 2. Cor. V. 10. *Omnes*, inquit, *nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, uti referat unusquisque propria corporis prout geſſit ſive bonum ſive malum.* Chriſtus autem præclare totam vitam anteactam hominibus ob oculos ponit, rationem præmiorum & pœnarum ſemper ex hac vita petit, dicta & facta illis in memoriam revocat Matth. XXV. 35. ſqq. *Eſurivi & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me, nudus & operuiſtis me: infirmus & viſitaſtis me, in carcere eram, & veniſtis ad me* &c. Conf. Matt. XII.

36.

36. VII. 22. Rom. II. 6. Pſ. LXII. 13. Jer. XVII. 10.

§. 7. Homines igitur cum ideas easdem de rebus adhuc poſt mortem retineant, (per §. 3. 4. 5.) & præteritorum recordentur (per §. 4. 5. 6.) promiſſi alicujus, præſertim ex amore facti, illos non obliviſci patet; ratio enim promiſſi poſtulat, ut ſtemus promiſſo nec illius obliviſcamur: nec diverſa iſta objecta, quæ poſt hanc vitam erunt contemplanda, oblivionem promiſſi inducunt, viros & res præteritas e memoria noſtra delent; cum §. 4. & 6. contrarium evicerimus, *illos* adhuc rerum terreſtrium recordari poſſe, *licet* illis rebus non commoveantur ac perturbentur, ſed in pace quieſcant.

§. 8. Ne autem partibus Pontificiis favere videamur, monendum, nos beatis nullam rerum cognitionem, quæ hic in terris ſeu in genere ſeu in particulari gerantur, tribuere, licet pro vivis orare poſſint, ut ex ſqq. clarius patebit. Nullum enim in his cognitionis neque in ratione, neque in revelatione, habemus fundamentum, ut a Theologis Proteſtantibus ſatis demonſtratum; Neque modum invenimus, quo cognoſcant terreſtria, de quo ipſi Pontificii litigant ac IV. modos fingunt. Nonnullis placet, ſanctos ex relatione angelorum omnia cognoſcere; nonnulli animabus celeritatem naturæ tribuunt, qua quodammodo eſſe ubique ſupplicantium

au-

audire poſſunt ; nonnulli amant ſpeculum divinæ viſionis, ſeu, ut appellant, ſpeculum S.S. Trinitatis ſanctos in Deo omnia videre; nonnulli novam revelationem defendere ſatagunt ; ob incertitudinem & diſcrepantiam horum modorum quidam tutiſſimum eligere ſtudent, ac omnes illos modos conjungunt, ut Becanus & Coſterus ; quos tamen omnes ut abſonos ſibique invicem contrarios rejecit Joh. Gerhardus in Confeſſ. Cathol. L. II. P. II. art. X. c. 2. p. 1000. Bellarminus animabus in purgatorio laborantibus cognitionem rerum particularium etiam denegat Tom. I. Opp. Lib. II. de Purgat. c. XV. *Quanquam*, inquit, *animæ in purgatorio pro nobis orent*, cum ipſæ adhuc auxilio indigeant, *tamen ſuperfluum videtur ab eis petere, ut pro nobis orent, quia non poſſunt ordinariè cognoſcere, quid agamus in particulari, ſed ſolum in genere ſciunt, nos in multis verſari periculis, ſicut nos de illis ſolum in genere ſcimus, eas valde torqueri ;* Non vero, ut in purgatorio ſtatum generalem fidelium cognoſcant, ſed per præcedentem cognitionem ut Thomas P. I. P. LXXXIX. art. 4. quam ante mortem de illis habuerunt. Nos potius jure meritoque textui juris Canonici, quem inſtar omnium allegamus, ſubſcribimus. C. Qui divina Cauſ. XIII. Qu. 2. in Append. *De mortuis etiam quæritur utrum ſciant ea, quæ hic a vivis geruntur ? Eſaias ex perſona afflicti populi ait : Abraham pater noſter nos neſci-*

*neſcivit. Auguſtinus quoque in libro de agenda cura pro mortuis illud idem teſtatur.* Conf. Eſ. LXIII. 16. 1. Reg. VIII. 39. 2. Reg. XXII. 20.

§. 9. *Secundum* quod nobis conſiderandum venit, eſt: *An beati pro vivis orare poſſint;* quod etiam affirmamus, ſi res ita ſint comparatæ, ut bonum aliquod ex iſtis precibus redundet. Prius autem ſciendum, an preces ſtatui, in quem beati poſt mortem transferuntur, conveniant. Statum iſtum aliquomodo ex ſcriptura ſacra delineamus; homines pios e ſtatu miſero in ſtatum ſumme felicem transferri multis ex locis patet. Immunes ſunt ab omni labore Apoc. XIV. 13. Sap. IV. 7. Liberi ab omnibus miſeriis & affectionibus humanis Apoc. VII. 14. ſqq. converſatio ipſorum erit cum angelis Matth. XXV. 34. Sap. V. 5. eruntque ipſi Ἰσάγγελοι, Luc. XX. 36. Matth. XXII. 30. laudabunt Deum Apoc. VII. 15. gaudent æterna beatitudine Matth. XXV. 21. ac fruuntur viſione Dei beatifica 1. Cor. XIII. 12. Matth. XVIII. 10. cetera aliis diſcutienda relinquimus.

§. 10. Preces autem cum in colloquio cum Deo conſiſtant, quibus bona petimus, mala vero avertimus, illas ad ſtatum felicem quadrare, aſſerimus; familiariores enim illis Deo reddimur, bonitatem ipſius ac Majeſtatem magis contemplamur, majori cordis affectu precamur, cum de utilitate rerum majorem cognitionem ſimus adepturi. Accedit, quod

iſtas

ſtas precationes pro altero maximum in ſcri-ptura Sacra habeant fundamentum & Chriſtus ipſe pro hoſtibus ſuis in cruce oravit Luc. XXIII. 34. Stephanus Act. VII. 58. Paulus ſæpius inquit: Orate pro nobis 1. Theſſ. V. 25. Coll. IV. 3. 2. Theſſ. III. 1. Epheſ. IV. 19. A vivis hic ad beatos mortuos rectè concludere poſſumus, cum promiſſi, quod huic vel illi individuo fecerunt, recordentur (per §. VII.) & familiarius cum Deo converſentur. Si itaque vivi pro vivis orant ut Deus eorum incepta ſecundet, quidni beatus qui moriens ſibi firmiter propoſuerit, ſe pro hujus vel illius incolumitate ac ſucceſſu felici in ſuis operibus Deum oraturum, oret? Huc quadrat illud Jonæ Aurelianenſis Epiſcopi Lib. III. De Cultu imaginum: *Si Apoſtoli, inquit, & martyres adhuc in corpore conſtituti poſſunt pro ceteris orare, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſoliciti: quantò magis poſt coronas, victorias & triumphos?*

§. XI. Licet nunc preces pro unius alteriusve ſalute fundere poſſint, nullam inde elicimus invocationem ſanctorum, neque ad eorum opem atque auxilium cum Romanenſibus confugimus, cum §. 8. demonſtraverimus illos neque in genere, neque in particulari ſcire quid agamus in his terris, ſed illos tantum promiſſi alicujus memores eſſe poſſe. Cum itaque neſciant quid agamus etiam non intelligunt preces noſtras & pro-

pterea non invocandi. Hæc invocatio ſanctorum neque in V. T. neque tribus prioribus ſeculis Novi Teſt. fuit audita. *In V. T. non fuit conſuetum, ut diceretur, ſancte Abraham ora pro me*, inquit Bellarminus Tom. I. Opp. L. I. De Beat. Sanct. C. XIX. In Novo Teſtamento demum circa annum 370. ad invocationem ſanctorum præivere in Græca Eccleſia, Baſilius, Nyſſenus, Nazianzenus: in latina vero Ambroſius Mediolanenſis teſte Joh. Henr. Heideggero. *l. c.* Sed abominamur hunc cultum omni fundamento S. Scripturæ, apoſtolicæ Eccleſiæ & vetuſtiſſimorum patrum deſtitutum, ipſique verba Maldonati ad Matth. IV. 10. ita commentantis, opponimus: *Cum Deus jubet adorare ſe, ſibique ſervire, vetat alios adorare Deos & ſervire illis. Itaque idem eſt, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſervies, ac ſi dixit: Dominum Deum tuum ſolum adorabis, illique ſoli ſervies.* Imò ipſum Concilium Trident. Seſſ. XXV. pro adſtruenda ſanctorum invocatione non provocat ad ſcripturam S. ſed *catholicæ tantum*, licet falſò, ut ex proxime antecedentibus patet, & *Apoſtolicæ Eccleſiæ uſum a primævis Chriſtianæ religionis temporibus receptum, ſanctorum patrum confeſſionem & conciliorum decreta.* Hiſce Conciliorum decretis aliorum conciliorum longe vetuſtiorum decreta opponimus, utpote Concilii Laodiceni Cap. XXXV. *Quod non oporteat Chriſtianos, relicta Dei Eccleſia abire &*

*an-*

*angelos nominare vel congregationes facere quod eſt probibitum. Si quis ergo inventus fuerit huic occultæ idololatriæ vacare, ſit anathema, quia reliquit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, accesſit ad idololatriam* & Concilii Carthag. III. Can. 23.

§. XII. *Tertium* quod reſtat eſt: *Judicium de particulari illa interceſſione, quid de illa ſtatuendum, effectumne habeat nec ne!* Scriptura ſacra precibus magnam adſcribit vim ſi debito more proferantur. Chriſtus ipſe ſuo exemplo nobis præivit Matth. XXVI. 39. Diſcipulos ſuos orare docuit Matth. VI. 9. ad orandum illos incitat effectumque illis promittit Matth. VII. 7. Joh. 23. ſq. Et cum preces piorum ac juſtorum multùm valeant ut teſtatur hiſtoria Salomonis 1. Reg. IX. 3. & Hiskiæ Eſ. XXXVIII. 8. Jac. V. 16. Joh. IX. 31. quantò magis preces beatorum? In genere autem de illis notandum, illas non ſemper exoptatum conſequi finem, præſertim cum nexui hujus univerſi minimè conveniant, impoſſibilitatem moralem involvant; & naturam rei convertant. Quod cum ab ejusmodi petitionibus beati, qui majorem cognitionem adepti, abſtrahant, illorum precibus, utpote nexui hujus univerſi conformibus, effectum adſcribimus. Quò faciunt verba Lombardi IV. Sent Diſt. 45. Lit. F. *Sancti ſupernæ voluntati ita addicti ſunt, ut nihil præter ejus voluntatem quærant.* Et cum Deus nihil velit, niſi quod nexui hujus univerſi ſit conveniens,

recte voluntatem ipſius per nexum explicamus.

§. 13. Porro requiritur, ut iſte pro quo precationes fiunt, decenter ſe gerat, ſuaque quæ ad finem adſequendum neceſſaria ſunt, conferat, aliàs illis nullus effectus eſt tribuendus. Cum enim Deus nexum hujus univerſi fundâſſet, hominum actiones bonas & malas, precationes &c. prævidit, ut juxta illas nexum diſponeret. Si itaque actiones hominum ſemper malæ exiſtant, preces ſolæ totam hominis naturam evertere nequeunt, quod ſapientiæ divinæ incongruum videtur. Quatenus igitur homo ſuum agit, effectus beatorum precibus eſt tribuendus, niſi Deus modo hominibus plane incognito actiones ita dirigat, ut optatum adſequantur finem.

§. 14. Tandem problema hoc ſimili aliquo illuſtremus, ut cuique ſtatim in oculos incurrat. Amicus ab amico diſcedens ac longinquas petens terras, alteri dicit: Neſcio, an ſim rediturus nec ne; Interim quotidie preces pro te ad Deum fundam, illumque obſecrabo, ut te in viis tuis cuſtodiat, diu ſalvum ac incolumem conſervet, inceptos tuos labores ſecundet atque fortunet; abit; Deum interim quotidie orare non intermittit, ſed ſemper memor eſt promiſſi Hæ preces non pro nihilo ac absque omni effectu ſunt habendæ, niſi alter petulanter ſe in malum præcipitet, licet ſtatum

iſtius

iſtius amici ignoret. Sic homo moriens ex hac vita migrans etiam huic vel illi promittere poteſt, ſe pro hujus vel illius ſalute Deum precaturum ut operi incepto benedicat ac labores ejus ſecundet. Nam easdem poſt mortem retinet ideas quas vivas conſervat, (per §. 3. 4. 5. 6.) & memor quoque promiſſi, (per §. 7.) apud Deum pro ſalute iſtius hominis intercedit ut ipſi gratiam ſuam largiatur (per §. 10.) ſi modo homo iſte ſuum agat & decenter ſe gerat (per §. 13.) licet ſtatum ipſius ignoret (per §. 8.) Et cum preces veræ piorum præſertim non absque fructu proferantur (per §. 12.) nullum eſt dubium, quin & hæ ſc. beatorum effectum ſint conſecuturæ.

# VI.

# V. B. S. Animadverſiones De CAROLINIS contra IMAGINUM cultum libris, ET ELI. PHILI. primo eorum editore.

## ARGUMENTUM.

*Carolus M.* multa ſcripſiſſe putatur. (Dies emortualis Caroli.) §. 1. Celebratiſſimum omnium eſt *contra Sacras Imagines* opus §. 2. Scriptum eſt tempore *Caroli*; utrum id ab ipſo *Carolo*, an *Caroli* juſſu ab Epiſcoporum quodam factum, ignoratur. (*Alcuini* nomen. Ita ſe vocavit Calvinus. Varia hujus nominis anagrammata. Ipſi Pontificii libros illos Carolo M. tribuunt, §. 3. *Poſſevinus, dum Caroloſtadium* parentem hujus operis venditat, turpiter ſibi contradicit. §. 4. Sunt, qui libros *de cultu Imaginum* jam *Anno* 1518. editos eſſe ſcribunt. §. 5. Habetur tamen pro prima ab ELI. PHILI. *Anno* 1549. curata editio. §. 6. *Caveus*, dum eam editionem recenſet, ſexies labitur. Judicium de opere Cavei. §. 7. ELI. PHILI. eſt *Johannes Tilius*. Rationes, quare ſub eo nomine latere voluerit, afferuntur. (Nova de hac appellatione conjectura affertur. Notat Eliae FILIUM. Jo. Tilius fuit Eliae filius. Ludovicus *Tilius*.) §. 8. Bini fuere *Johannes Tilii*,

fratres, uno tempore viventes, iisdemque ſtudiis vacantes. §. 9. *Jo. Tilius*, an N. T. Græcum ediderit, disquiritur. *Miræus* & *Colomeſius* notati. §. 10.

§. 1.

CAROLUS Imperator vere Magnus (a) anno decimo quarto Seculi, quod Chriſtianis nonum erat, denatus, multorum ſcriptorum auctor putatur. Ea prolixius commemorare, jam non vacat; dabunt pleniorem horum notitiam *Jo. Trithemius* de *Ill. Germaniae Scriptorib.* p. 125. Tom. I. Opp. Hiſtoric. ed. Frf. 1601. fol. *Eginhardus* de *Vita Caroli M.* c. 29. & in not. *Beſſelius* p. 131. ed. Schminckii. (b) *Croix du Maine B.bliotheq. Fran-*

(a) Conſentiunt in hunc annum Hiſtorici medii ævi fere omnes, ſolus auctor *anonymus Genealogiæ Caroli M.*, quam An. 867. ſcriptam ex MSCto Codice Bibliothecæ San-Gallenſis produxit *Henr. Caniſius Lection. Antiq.* Tom. V. P. 2. p. 688. una, mortem ejus in annum proxime ſequentem refert. *Anno*, inquit Anonymus, *Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCXV. CAROLVS omnium Imperatorum optimus ad Aquisgranum VI. Kal. Februar. hora diei tertia de hoc Seculo migravit, qui regnavit annos XLVII. Deceſſit autem anno ætatis ſuæ LXXII.* H. I. Vbi tamen errorem, vel Anonymi ille, vel amanuenſis ſit, ſubeſſe nullus dubito.

(b) Agnoſcit *Crucimannus*, Carolum Ingelshemii ad Rhenum in Germania inferiori natum eſſe; nihilo ta-

men

*Francois.* p. 46. *Valer. ANDREAS, Bibl. Belgic.* p. 122. ed. opt. 1643. *Ant. POSSEVINUS Apparat. Sacr.* Tom. I. p. 299. ed. Colon. *Caſim. OUDINUS* in *Suppl. de Scriptor. Eccl. a Bellarmino omiſſis* p. 216-219. *du PIN nouvell. Bibliotheq. des Auteurs* Eccleſiaſtiq. Tom. VI. p. 114. ſſ. *CAVE Hiſt. Lit. Scr. Eccl.* P. I. p. 345-347. ed. vet. *OLEARIUS* Bibliothec. *Eccleſiaſtic.* T. I. p. 159-161. Jo. Burch. *Mencke de Viris armis & ſcriptis illuſtrib.* p. 26. ſſ. *Val. Ern. Lœſcherus in Bibl. purpurata*, 1698. edita, alii.

§. 2. Scriptorum *Carolo* tributorum cele-



men minus Gallicis eum Scriptoribus accenſere, de ejusque Scriptis Gallico Sermone editis ita nugari non dubitat: *Il avoit connoiſſance de pluſieurs langues, & entre autres de la Francoiſe ou Germanique Gauloiſe, que nous appellons Francoiſe-Allemande. Il a ecrit une Grammaire en Langue vulgaire uſitée pour lors. Il a recueilly les vieux Poëmes des Poëtes Francois de ſon temps, compoſez a la louange des plus grandes guerrions, & valereux hommes de ce temps-la, les quels ne ſont en lumiere.* Cautior *Cracimanno* ejus exſcriptor *Verderius Carolum* abeſſe a ſua *Bibliotheca* voluit. Cæterum de *Caroli M.* eruditione hæc *Schminckii* verba ad *Eginhard.* p. 116. a 1. placent: *Nonnulli ex recentioribus ſe Carolum ad cœlum evehere putant, ſi inaudita quavis & magna ei tribuant: narrant enim, Carolum accurate locutum fuiſſe Græce, contra diſerta Eginhardi verba, Latine, Hebraice, Arabice, Scotice, Gallice, Germanice, Belgice, pluresque alias linguas. Sed has fabulas autoribus ſuis relinquo, cum nemo vett. ullam de tot linguis mentionem faciat.*

bratiſſimum omnium eſt *contra ſacras Imagines* opus, Græcorum erroribus, in Synodo Nicena II. Pſeudo-Oecumenica VII. defenſis, oppoſitum, in Concilioque Francofurtenſi anno DCCXCIV. publicatum, quod Pontificiis etiamnum bilem movet, Proteſtantibus occaſionem dedit, Carolum veritatis teſtibus annumerandi.

§. 3. Nolo meam facere litem illam, ſintne a *Carolo* ipſo ſcripti *de cultu Imaginum* libri, an *Caroli* juſſu vel (c) a *Flacco Albino* ſive (d) *Al-*

(c) Ita *Matthæum Weſtmonaſterienſem*, & *Rogerum*, ab oppido *Hovedeno* in provincia Eboracenſi teſte *Lelando de Script. Britan.* C. 203. p. 299. cognomen adeptum, ſecuti, *Voſſius de hiſt. Lat.* L. 2. p. 290. & *Beſſelius ad Eginhardum* p. 117. b. & 131. a. ed. cit. aſſerunt.

(d) Falluntur omnino, quotquot *Albinum* noſtrum vel cum Authore *Annal. Francicor.* a Pithœo editorum apud *Voſſium de H. L.* L. 2. p. 289. *Flaccum Alcuinum cognomento Albinum*, vel cum *Sixto Senenſi in Bibl. S. Albinum Flaccum cognomine Alcuinum*, vel cum *Eginhardo in Vit. Caroli M.* C. 25. p. 117. *Albinum cognomento Alcuinum*, vel cum *Sammarthanis Gall. Chriſt.* T. IV. p. 299. b. *Alcuinum cognomine Albinum*, vel cum *Thoma Galeo* præf. *in Scriptores XV. Hiſt. Brit. Sax. Ang.* Oxon. 1689. f. *Alcvvinum* & *Latina interpretatione Flaccum vel Albinum* vocant. Verum autori noſtro nomen fuit *Flacco Alcuino*. *Flaccus* a baptismate dictus eſt; *Alcuinus*, ſive ut mollius poſtea & ſuavius pronuntiatum eſt, *Albini* nomen a Familia traxit. Ipſius vero *Alcuini* ſive *Albini* nominis varia in MSCtis ſcriptio de-

*Alcuino* (α) vel (e) ab *Ingelramno* ſive *Angelramno*, vel ab omnibus (f) Galliæ Epiſcopis tum

deprehenditur. *Alboinum & Abulinum in MStis libris invenimus*, ait *Hittorpius* præf. in *ſcriptores de Divinis offic.*, qui Paris. 1624. fol. recuſi, Tomum X. Bibl. PP. Bignæi conſtituunt. *Alcoinus* in vetuſto Codice Eginhardi in Bibl. Cæſar. obvio vocatur, teſte *Lambecio de Bibl. Cæſ.* L. II. p. 263. *Albinus & Alcuinus, Alboinus vel Albuinus, Alcboinus, Alquinus, Alcbuvinus, Alkoinus tam in MSCtis, quam excuſis libris indifferenter reperitur*; inquit *Andr. Quercetanus Turonenſis* in præf. ad *Alcuini Opp.* Paris. 1617. f. §. 11. *Varia barbari hujus nominis ſcriptio deprehenditur in ſcriptis & impreſſis Codd. Aliquinus, Alquinus, Alicuinus, Alcbuinus*; verba ſunt Cl. *Schminckii* not. *ad Eginhard.* p. 118. a.

(α) Hoc ſibi nomen aſſumsit olim Joh. Calvinus, illudque primae Inſtitutionum ſuarum editioni, quae Argentorati a. MDXXXIX. prodiit, praefixit. Continet enim easdem literas quae in nomine ejus gentilitio, non minus ac in voce *Lucianus*, occurrunt. Haud inelegans literarum nominis ejus utriusque eſt talis transpoſitio; *An non es via lucis*? Sicut non minus lepide quidam alii ejus nominis literas ita pervertenti; *O ſane, nil vanius!* reſpondebat, O VANE, NIL SANIUS! T. d. H.

(e) In hanc ſententiam inclinare videtur *Guil. Caveus in Chartophylace Scr. Eccl.* p. 143. In *Hiſt. Litterar.* tamen P. I. p. 346. veroſimilius *Alcuino* tribui cenſet.

(f) *Non videntur hi libri opus unius hominis, ſed facti de communi conſilio Epiſcoporum Galliæ, tum temporis de Imaginum cultu contendentium. Multi damnarunt olim ſuppoſitionis hos libros, ut Bellarminus & alii:*

ſed

tum temporis de Imaginum cultu contendentibus compoſiti. Illud extra controverſiam poſitum, paullo ante Synodum Francofurtenſem ſcriptos, a *Carolo* lectos, ſedente Synodo ſub *Caroli* nomine publicatos, a Synodo Francofurtenſi approbatos, in Galliaque receptos eſſe. Equidem non ſum ignarus, Triumviros Papalis Monarchiæ propugnatores, *Baronium*, *Bellarminum*, & *Perronum*, iisque ſuccenturiatos *Surium*, *Sixtum Senenſem*, *Poſſevinum*, *Binium*, (β) aliosque acerrime con-

*ſed qui ſunt hujusmodi novæ notæ homines, contra Hincmarum contemporaneum, & tot MStos Codices ejusdem Seculi, qui videntur* in Galliarum Bibliothecis? Hæc *Caſim. Oudinus* in *Supplem. de Scr. Eccl.* p. 218. ed. Paris. 1686. 8.

(β) Adde Th. HARDINGUM in confut. apol. Angl. Alanum COPVM diat. IV. Cap. 18. & 19. & diat. 5. c. 12. ſqq. atque omnium in hac cauſſa audaciſſimum Car. le COINTE Ann. Eccl. a. 794. n. 22. p. 509. Auguſtinum REDING. Controv. diſſ. p. 813. Parum honori Cardinalis Perroni conſuluit *Perronianorum* ſcriptor, qui huic haec verba inficeta adtribuit. *Le Livres des images qu'on attribue à Charle Magne n'eſt pas de lui, qu'il a eſte fait par la plus groſſe bete du monde, que c'eſt le plus ignorant livre, qu'il y ait.* Sed non defuere ex ipſo Latinorum coetu, qui libros illos vel a Carolo, vel ſaltim ejus nomine, auctoritate, atque juſſu, id quod mihi quidem perſuaſum eſt, conſcriptos fuiſſe & agnovere & confeſſi ſunt, Ne nunc commemorem Auguſtinum Steuchum de donat. Conſtant. M. L. II. n. 60. Eccium, Mezeraium, auctorem Dialogorum Eudo-

xii

contendere, ſpurios hos libros eſſe, *putida hæreticorum fraude ſub Caroli nomine publicatos.* Sed quo loco habendæ ſint eorum criminationes, & res ipſa loquitur, & *Sirmondus* eo ipſo fatetur, quod ſcribit, *libros Caroli pro legitimis nunc*

xii & Euchariſti p. 173. & ipſum hunc Tilium noſtrum, quem Proteſtantium eccleſiae non nimis faviſſe & libri illius contra eos ſcripti, praecipue autem praefatio quam Luciferi Calaritani operibus praefixit, affatim evincunt, reliquosque hoc loco jam citatos. Fuſiſſime omnium & ex inſtituto id probat Natalis ALEXANDER in hiſt. eccl. ſaec. VIII. diſſ. VI. c. 6. Tom. V. p. 787. ſqq. Ipſi Maimburgio, tametsi, quae effricta Viri frons eſt, a Lutherano libros illos editos primum ſcribit, hanc tamen confeſſionem invicta veritatis vis expreſſit. *On ne peut neanmoins nier que ce livre ne ſoit le veritable ouvrage, qu'on attribue à Charles Magne, comme il paroit par la reponſe, que le Pape Adrien a fait aux objections, qu'il contient* in hiſt. Icon. L. IV. p. m. 23. Pariter Sorbonam Pariſienſem in libro circa a. 1676. edito, ſed mox Jeſuitarum artibus Lutetiae combuſto, Carolum ipſum quod nemo Proteſtantirum rotundis haſtenus verbis aſſeruerat, ſcribendis hiſce libris manum admoviſſe, pertendiſſe narrat J. H. Heiddeggerus diſſ. T. II. p. 797. Inprimis lectu digna ſunt, quae ad hanc rem adſtruendam adtulit ſapientiſſimus Vir G. Caſſander in epiſtola Jo. Molinaeo inſcripta Opp. 1102. ſq. in qua cum ſcribat, ſe vidiſſe hoc de Imaginibus volumen ſcriptum in Galliis ſerico villato & aureis umbilicis exornatum, *apud quendam eruditum virum modo epiſcopum,* non dubito quin innuat /. Tilium, illius editorem, qui tum temporis, a. videlicet, 1560. quando illa ſcribebat Caſſander, epiſcopatui praeerat Briocenſium. T. d. H.

*nunc omnes ſere agnoſcere, neque id inficiari poſſe, niſi quis Hadriani Papæ ad eoſdem libros reſponſioni, ſeu confutationi, quæ in omnium manibus verſatur, fidem detractam velit, T. II. Concil. Galliæ* p. 19. in admonit. ad Lectorem. Adde operoſius idem probantes *Oudinum* in *Supplemento*, p. 217. 218. *du Pin nouvel. Bibliotheq.* Tom. VI. p. 121. *Caſaubonum* in *Caſaubonianis* p. 170. 171. *Dallæum de Cultu Imaginum* L. III. C. 3. p. 380-428. *Ancillonium in Miſcellaneis Critic.* T. II. p. 99. *Caveum Hiſt. Lit. S. E.* p. 347. *Dorſchæum Collat. ad Concil. Francofurt.* p. 40. ſq. *Reiskium Exercit.* 1. *de Imaginib.* p. 45. ſq. *Gerhardum Conf. Cathol.* L. 2. P. 2. p. 526. ſq. aliosque. (γ)

§. 4. *Antonius Poſſevinus* S. I. cui hoc cum reliquis ejus Societatis Patribus ſolenne eſt, ut nihil affirmet confidentius, quam quod maxime dubium eſt & incertum, confidenter ſa-

(γ) Adde Chriſt. NIFANIUM in libro, quo probat Carolum M. formaliter non fuiſſe Papiſtam p. 86-97. Jo. IVELLUM in apol. eccl. Anglic. contra Hardingum Opp. T. II. p. 543. D. CHAMIERVM in panſtr. Cath. L. XXI. c. 14. ff. 15. ſqq. J. Henr. HEIDEGGERUM in Carolo M. verit. teſte, Diſſ. T. II. p. 795. 796. Petrum MOLINAEUM in Iconomacho L. II. c. 18. Jo. FORBESIUM in inſtruct. Hiſt. L. VII. c. X. §. 10. & c. XI. §. 1. ſqq. *le SUEUR* dans l. hiſt. de l'egl. ad a. 784. BASNAGE dans *l'hiſtoire de l'egl.* L. XXIII. c. 5. §. 6-16. Fr. SPANHEMIUM F. in hiſt. imag. reſtit. Sect. VII. §. 2, 3. J. Jac. HOTTINGERUM in hiſt. eccl. Helvet. T. I. L. IV. p. 379. ſqq. T. d. H.

ſatis *Andream Caroloſtadium* acerrimum ſacrarum Imaginum oppugnatorem *Carolinorum contra Imaginum cultum librorum* eſſe auctorem conſtituit. *Caroloſtadius*, inquit in præfat. *ad Apparat. Sacr.* pag. ante penult. fin. *commentum ſuum adverſus cultores Imaginum ſub nomine Caroli Magni de cultu Imaginum ad ſextam Synodum in oriente congregatam ſcripſit. Poſſevini* criminationem e *Sixti Senenſis Bibliotheca Sacra* mutuo ſumtam recoxit, & αὐτοῖς ῥήμασι in præfationem *Indicis Expurgatorii* 1640. Mantuæ Carpent. editi, & Genevæ 1667. fol. recuſi transtulit *Antonius a Sotomajor. Poſſevinum* ſatis mirari nequeo, quod, cum Rhinocerotis naſum habuiſſe videri voluit, non animadvertit, a ſe in *Apparatu ſacro* his e diametro contraria propoſita eſſe. Ne injuriam *Poſſevino* factam arbitreris, en! ipſa ejus verba; *Carolo Magno qui tribuuntur libri contra ſacras Imagines & VII. Synodum, quique* 1549. *editi, illi non ſunt illius ſed pleniſſimi mendaciorum, licet tempore Caroli M. fuerint perſcripti. Quod Caroli M. non ſint, extat liber Adriani Papæ I. ad Carolum M., in quo libri iſti accurate refelluntur, ex quo libro perſpicue intelligitur, ab hæretico ſcriptos hos libros, & a Carolo ad Pontificem miſſos.* Tomo I. *Apparat.* p. 299. & opt. Colon. 1608.

§. 5. *Libros Carolinos de Imaginum cultu* jam Anno 1518. editos eſſe, *Caſaubonianorum* editor celeberrimus in notis p. 204. auctor eſt. Ego uti Viri Magnifici, qui hanc editionem

in

in Bibl. Bodlejana tractavit, fidem ſollicitare non auſim; ita nec illos erroris poſtulare ſuſtineo, qui editionem Principem anni MDXLIX. primam vocant, eo quod in rubro ab editore ita vocatur.

§. 6. Princeps hæc & rariſſima operis Carolini editio inſcribitur: *Opus inluſtriſſimi & excellentiſſimi ſeu ſpectabilis Viri Caroli M. nutu Dei Regis Francorum, Gallias, Germaniam, Italiamque ſive harum finitimas provincias Domino opitulante regentis, contra Synodum, quæ in partibus Græciæ pro adorandis Imaginibus ſtolide ſive arroganter geſta eſt; Item Paulini Aquilejenſis Epiſcopi adverſus Felicem Vrgelitanum & Eliphandum Toletanum Epiſcopos libellus. Quæ nunc primum in lucem reſtituuntur. Anno Salutis* 1549. (δ) 16. Liber *Carolinus* paginis 646. *Paulini* 30. abſolvitur. Nomen Editoris in rubro non comparet: indicat autem præfationis bene longæ epigraphe: *ELI. PHILI. Chriſtiano Lectori Salutem.* Editionem hanc plures excepere, ab *Oudino, Caveo, du Pinio & Oleario* memoratæ. So-



(δ) Corrigendi itaque Labbeus, & Caſimirus Oudinus, quorum ille in parte altera de ſcript. eccl. p. 777. a. 1569. hic in ſuppl. de ſcript. eccl. (in vaſto enim, tribusque in folio, ut vocant, voluminibus edito nuper de ſcript. eccl. Comment. nihil invenio, quod ad hanc rem faciat) p. 217. a. 1555. editum librum eſſe pronunciant. Et cum locus impreſſionis non addatur, ſi Geſnero, Ivello, Chamiero, Oudino fides eſt habenda, Lutetiae Pariſiorum excuſus eſt. T. d. H.

li *Melchiori Goldaſto* binas hujus operis editiones acceptas ferimus; quarum alteram dedit eamque optimam in *Collectione Decretor. Imperialium de Cultu Imaginum*. Frf. 1608. 8. p. 895. alteram præfatione Editoris primi deſtitutam inſeruit *Conſtitut. Imperialib.* T. 1. p. 23-144. incl. ed. Frf. 1673. f.

§. 7. *Guil. Caveus in Hiſt. Lit. Scr. Eccl.* P. 1. p. 347. a. ed. vet. *Editi*, inquit, *ſunt primum hi libri a Jo. Tilio Meldorum Epiſcopo, ſub Eliphyli Chriſtiani nomine, Paris.* 1549. 8. *appoſita nec anni, nec loci impreſſionis nota.* Eadem hæc totidem verbis in noviſſima præſtantiſſimi operis editione, quæ emendatiorem ſe in titulo venditat, p. 17. a. leguntur. Quibus quidem in verbis quinquies mihi ſexiesve humani quid commiſiſſe *Caveus* viſus eſt. Etenim

(α) non uſus eſt editor *Jo. Tilius* nomine *Eliphili*, ſed diſtinctis literis: *ELI. PHILI.* Nec

(β) *ſub hoc nomine* edidit, ſed *ſolam præfationem* hac epigraphe inſignivit.

(γ) Non ſe *Chriſtianum* vocavit, ſed *Chriſtiano Lectori* librum ſuum inſcripſit. Nec

(δ) in *octava*, quam vocant, ſed *duodecima*, quin *ſedecima* forma librum ſuum edidit; quem

(ε) non *ſine notatione* anni, ſed *addito* expreſſe in titulo *Anno* 1549. excudendum curavit. Addo,

(ζ) quod

(ζ) quod *Eliphili* vox non per literam Pythagoricam, ſed per ſimplex I. ſcribenda fuiſſet.

Neque tamen hæc a me vel exagitandæ vel deprimendæ hiſtoriæ Caveanæ gratia dicta velim. Abſit! ſuſpicio *Cavei* induſtriam, eumque optime de Scriptoribus Eccleſiaſticis meritum eſſe aſſero. Soli veritati lito, in cujus gratiam præſentia præclari operis ἁμαρτήματα notare placuit, iis forte haud ingrata, qui vel (g) emendanda vel addenda ad *Caveum* meditantur.

§. 8. *Joannem Tilium*, Briocenſem initio, poſt Meldorum Epiſcopum ſub iſthac ELI. PHILI. larva latere, nemo facile eſt, qui ignoret. Sed nec deſcriptione, nec de ſignifica-

 tione

(g) Molitum quondam *Jo. Erneſtum Grabium* ea eſſe, *Georg. Hickes in ſome Account of Dr. Grabe, and of his Manuſcripts* p. XXIX. ed. Lond. 1712. 8. indicat. Et ſane plura in hoc opere reperiri, quæ emendatione indigeant, dudum *Basnagius* judicavit, cujus hæc verba ſunt *in hiſt. Opp. eruditor.* *Maj.* 1692. p. 418. 419. *Un Anglois celebre* (*Cave*) *qui l'a cenſure*, (de Oudini Supplem. Scr. Eccl. loquitur) *pourroit trouver a ſon tour des Cenſeurs, qui releveroient des fautes conſiderables dans ſon ouvrage; ſoit pour les derniers Siecles, qu'il a touche plus legerement, ſoit dans les premieres, ou il place des pieces, qui n'ont rien de venerable, que le faux nom, qu' elles portent.* In ſolo *Guiberto* & Scriptorum ejus recenſione memini, me vicenos fere *Cavei* errores notare, alibi forte, ſi fata ſiverunt, emendandos.

tione hujus ψεύδους ὀνόματος inter omnes convenit. *Voſſius de Hiſt. Lat.* L. II. C. 30. p. 290. *Beſſelius ad Eginhard.* p. 117. b. *du Pin nouv. Bibliotheq.* T. XVI. p. 103. a. *Placcius in Theatro Pſeudonym.* n. 910. p. 249. b. ed. 1708. & qui non? una voce *Eliphilum* vocant. Omnino, quantum ego judico, præter auctoris, de quo agimus, ſcopum, qui, cum nomen ſuum diſtinctis vocibus, ELI. PHILI. ſcripſerit, etiam diſtinctum nomen aſſumere, diſtinctisque litteris ſcribi nomen ſuum voluiſſe cenſendus eſt. Accuratius *Colomeſius* in *Miſcellaneis Hiſtoric.* p. 826. Opp. & *Phil. Labbeus de Script. Eccleſ.* T. II. append. p. 777. nomen diſtinguunt, vocesq; ELI. PHILI. *Eliam Philiram*, ſeu *Philyram* interpretantur. Sed quare ſub aſcititio hoc ELI. PHILI. nomine latere *Joannes Tilius* voluit? Tu, ne cum *Beſſelio ad Eginhard.* p. 117. b. cauſſam ignores, Lector benevole, hæc accipe: Erat *Johannes Tilius*, magni nominis in Gallia Epiſcopus; (ε) ne igitur vel ſuorum invidiam, vel curiæ Romanæ offenſionem, quæ ob editionem *Carolini contra Imaginum cultum libri* ei paratiſſima foret, incurreret, hinc latere voluit; & quo felicius delitesceret, interpolato nomine, ſe pro *Jo-* anne

(ε) At vero, cum hic liber vulgaretur, nondum erat Tilius epiſcopus. Nam anno demum 1553. imperante *Henrico* II. ad Brioceuſem, uti a. 1567. ad *Meldenſem* epiſcopatum promotus fuit. T. d. H.

*anne Eliam* pro *Tilio* PHIL*Iram* (ζ) dicit. Pro *Joanne* quidem ſe *ELIam* dixit *Tilius* noſter, vel



(ζ) Ego vero de hac vocum harum explicatione dudum dubitavi. Primus, qui eam protulit, quod ſciam, G. J. fuit Voſſius, quem reliqui deinceps ſecuti ſunt. Nullum teſtem, auctorem nullum illius laudat. Ita, ut non alium, quam conjecturae alicujus locum obtinere quiverit. *H*abet illa praeterea neſcio quid nimis longe petiti. Ita nomen ſibi ſumſiſſet ex duabus diverſis linguis, *H*ebraica & Graeca petitum. Et, ſi *Phili.* ſit à Græcorum Φιλυρα, cur litera illa Pythagorica mutata ſuit in J? Cum itaque de alia cogitarem interpretatione, in mentem venit, anne illud ELI. PHILI. explicandum ſit ELIae FILIus. Neque enim illud à moribus abhorret eorum, qui vera ſua nomina celare volunt, ut patronymica adſciſcant, ſic v. gr. *A*vicenna & *A*verroes, ſignificant tantùm filios *Sinae* & *Ruſch'd*, cum verum prioris nomen eſſet Abo Ali Al Scheich; al Rais alterius autem Abu l'Walid Muhammed. Integrum de hoc more ſegmentum habet Bailletus in libro des *Auteurs deguiſez* L. III. c. 4. Vides itaque Tilium ſe ita potuiſſe vocare, ſi Eliæ fuit Filius. At vero Eliæ filium fuiſſe, id nunc oſtendendum verbulo eſt. Scilicet Florimundus Raemundus in hiſt. haereſ. L. VII. c. 9 narrat *Calvinum per integrum triennium vixiſſe apud Engoliſmenſes ſumtibus Ludovici* Tilii, *Canonici Engoliſmenſis & Curionis Calixenſis, quem Graecam linguam docuerit, inque ejus aedibus conclavi quodam plus quatuor librorum, tam impreſſorum, quam manuſcriptorum millibus inſtructo ſe continuiſſe, tam abſtractum ab omni conſuetudine, ut etiam amicorum intimi, (quod ex viris fide dignis & oculatis teſtibus didicerit) aegre ab ipſo admitterentur.* Illum autem Ludovicum Tilium, (qui teſte Spondano ad a. 1534. poſt-

ad ſimilitudinem *Joannis Baptiſtæ*, qui in Sacro Codice alter *Elias* dictus eſt; vel quo inue-

postquam puriori doctrinae nuntium miſiſſet, Archidiaconus Engolismenſis factus fuit.) *Johannis Tilii*(de quo mox plura,) & *alterius fratri cognominis Meldorum Epiſcopi fratrem fuiſſe* ſcribit. Porro Ludovici illius Pater fuit HELIAS TILIUS: Id didici ex Papyrii Maſſonis Elog. addit. ad Cap. IV. vitæ Calvini p. 457. *Is* (Ludovicus Tilius) erat *FILIUS HELIAE, in privato conſiſtorio regio Conſiliarii, & Vicepraeſidis rationalium, &c.* Addit quidem eodem in loco Ludovicum Johannis Tilii ex fratre nepotem fuiſſe. Sed nullae cauſae ſunt, cur majorem in hac cauſa fidem *Maſſoni*, quam Raemondo tribuamus. Neque enim hic longe a Tilliorum aetate abfuit, & ad *oculatos fideque dignos teſtes* provocat, neque ulla ratio eſt cur in hac re fallere quemquam voluiſſe dicamus. Accedit teſtimonium *du Pinii* in Bibl. Eccleſ. aut. T. XVI. p. m. 102. & *Teſſierii* in loco mox citando, qui Ludovicum illum Johannis Tilii fratrem pariter appellant. Si itaque hujus frater fuit Ludovicus, Ludovici autem Pater Elias, ſequitur Johannem Tilium noſtrum quoque fuiſſe ELIae FILIum. *Atque* ita videtur illud ELI. PHILI. explicari debere in praefamine Carolini libri. Neque obſtat, quod non legatur *fili* ſed *phili*. Notum enim eſt, literam f ut ph vel φ exprimi, neque a ſe differre, unde & in libris tantum non omnibus, qui ante duo ſæcula exſcripti typis ſunt, loco f legitur ph. *Accedit*, quod haud dubie ſatis praegnans ei cauſa fuit, ob quam ita voluit ſcribere. Si enim ſcripſiſſet ELI. FILI, unusquisque nullo negotio agnoviſſet Johannem Filium ELIAE FILIUM. Nunc autem brevis illa permutatio τοῦ f in ph fecit, ut diu verus auctor delituerit, & vera Éliphili explicatio adhuc ignorata fuerit. T. d. H.

nueret, ſe, quaſi Spiritu *Eliæ* actum, Imaginum cultum hoc Caroli opere oppugnatum ire velle: Pro *Tilio* vero *PHILIræ* nomen elegit, quia *Tilia* arbor, quæ Gallis *Tillet* dicitur, Græcis *Philyræ* nomine venit. Vid. hanc in rem *Phil. Labbeum de Scr. Eccl.* Tom. II. p. 777. *Paul. Petavium in Syntagmate de Nithardo*, T. II. *Scriptor. Francicor. duChesnei.* p. 382. *Voſſium de Hiſt. Lat.* L. II. pag. 290. & *Jo. Dallæum de uſu Patrum.* L. I. C. 4. p. 109.

§. 9. Vidit Gallia binos *Joannes* (η) *Tilios*, (h) eodem patre genitos, eodem tempore natos, iisdem ſtudiis deditos, eodem anno, eodem menſe, eadem in Vrbe Anno (θ) MDLXX. denatos. Horum alter præter *Carolinos libros*, etiam *Luciferi Calaritani*, ſive potius *Caralitani* novam editionem Paris. 1568. 8. & in Bibl. PP. Colon. 1618. Tom. IV. p. 121. ſq. repetitam, Tractatum Gallicum *de antiquitate & ſolennitate Miſſæ*, Paris. 1567. 8. aliaque do-



(η) Vel potius *du Tillets* du Bruſſiere, quod verum illius gentis, quæ ex agro Engolismenſi orta eſt, & in illo prædia poſſedit, nomen fuit. T. d. H.

(h) *C'eſt une rencontre memorable de voir, que deux freres de meſme nom & ſurnom, tous deux ayans eſcrits de pareils ſubjects eſtre morts en meſme ville, en meſme mois, en meſme an, & de pareil age, ou peu s'en falloit.* Hæc *Sr. de la Croix du Maine Bibl. Franc.* p. 268.

(θ) Menſe *Novembri* non Decembri, ut Morerus, Dupinius, aliique habent. T. d. H.

dedit. Alter (ı) Curiæ Pariſienſis a Secretis edidit *Memoires pour l'intelligence de l'eſtat & des affaires de France* Paris. 1577. *Memoires ſur les libertes de l'Egliſe Gallicane* 16. 1597. aliaque hujus generis. Conſulendi de utroque ſunt *Croix du Maine Bibl. Franc.* pag. 268. *Poſſevinus* ejus exſcriptor Tom. I. *Apparat. Sacr.* p. 944. *Miræus de Scriptorib. Sec. XVI.* pag. 186. ed. Fabric. *Freherus in Theatro.* P. II p. 858. 859. *Eybenius* p. 780. *Eponomol. Critic. Magir.* du *Pin nouvel. Bibl. Tom.* XVI. p. 103. alii. (x)

§. 10.

(ı) Vel potius. Protonotarius & ſecretarius regis, & Parlamenti Pariſienſis Graphiarius. (Greffier) Atque hoc munus ei quaſi hæreditarium fuit. Ita enim legitur in libro; veritable eſtat de la France, edit. Paris. a. 1657. *Il y a dans le Parlement de Paris un greffier en chef, qui eſt Monſieur du Tillet, dont les predeceſſeurs poſſedent depuis trois cens ans cette charge, qui eſt une de plus lucratives de toute la* France. Inter libros illius maxime famoſus fuit, neque exiguas turbas dedit, quem ſcripſit *de la majorite du Roi,* de qua re conſule Bailium. T. d. H.

(x) Adde; *THUAN.* L. XXVII. circa finem. TEISSIER eloges des hommes ſavans edit. ultimae, quae Lugd. B. quatuor Tomis nitidiſſime a. 1715. prodiit, T. II. pag. 351. ſqq. SAMMARTHAN. Elog. L. II. p. 80. & præcipue BAILII diction. editionis Belgicae tertiae ſplendidiſſimae T. IV. p. 2733. ſqq. Poſſideo librum Ambergae a. 1610. in 8. excuſum, cujus titulus. *Parallela ſive memorabilia de vita & moribus Pontificum Romanorum Chriſti vicariorum exempla cum ethnicorum principum dictis factisque comparata ex probatis hiſtoricis omnia bona*

fide

§. 10. *Joannem Tilium*, Meldorum Epiſcopum etiam *Novum Teſtamentum Græcum* ediditſſe, *Poſſevinus* & ejus plagiarius *Miræus* aſſerunt. Sed vereor, ne uterque fallatur. Edidit *Tilius* non *Novum Teſtamentum*, ſed ſolum *Matthæi Evangelium*; nec Græce, ſed Hebraice, cum Latina verſione *Jo. Merceri*, Baſel. 1552. notante *Huetio de claris Interpret.* p. 181. Quem ob laborem cur a *Colomeſio* in *Gallia Orientali* fuerit omiſſus, haud ſane aſſequor.

*fide depromta*. Illius auctor ſe quoque in praefatione vocat *Jo. Tilium*. Dubito tamen num ille fuerit unus horum fratrum. Saltim primum poſt utriusque obitum nempe a. 1576. editus fuit. T.d.H.

# VII.

# *Eilhardi Folcarthi* HARCKENROTHII,

## Epiſtola ad *Theodor. Haſaeum,*

### in qua nonnulla, quae ad hiſtoriam ſacram & literariam ſeculi XVI. praeſertim Friſiacam ſpectant, exhibentur.

## SUMMARIUM.

Rudolphus *Agricola* dictus a *Siloba.* §. 1. Idque nomen traxit a monaſterio ejus nominis. §. 2. Johannes *Agricola,* Rudolphi frater. §. 3. Clauſtrum illud vulgo dictum *t' Klooſter Sylmonniken,* quod & vocatum eſt *Sylo,* quod probatur duabus vetuſtis literis, quae integrae exhibentur. *Thomas* de *Sutphano.* §. 4. Epiſtola inedita Jo. Arcerii ad Martinum Eliacum. §. 5. *Johannes* & *Sixtus Arcerii.* §. 6, 7. *Simon* HABOSCHIUS, Haereſis *Gallica;* Ejus errores. §. 8. Ob eos ab Emdenſibus excommunicatus diverſis in locis motus ciet §. 9, 10, 11, 12. *Adrianus* GORINUS. Favet Anabaptiſtis. Removetur ab officio. Reſtituitur. §. 13. Ejus *Apologia.* §. 14.

§. 1. Uti

§. 1.

UTi in emolumentum literarum in publicanda tua Bibliotheca Bremenſi quotidie deſudas, pro quo labore totus eruditorum orbis gratias tibi ſe debere ingentes gratus agnoſcit, ita ab aliquo tempore non ſine fructu & laudabili ζητητικῇ in fine cujusque faſciculi nonnulla ſciſcitari ſoles, quæ ulteriorem indagationem merentur.

Ego putem me non totum Davum, ſed & aliquatenus etiam Oedipum agere, & explicare poſſe, unde Rudolpho *Agricolæ*, cognomen illud â *Siloba* adhæſerit, quod ex Hardenbergo ipſi datum conſtat ex excerptis mearum literarum, quas proferre faſc. XXVIII. p. 708. dignatus es, & unde tibi, occaſio nata ulterius p. 765. inquirendi, quæ ratio iſtius denominationis fuerit, fateor uti paſſim ita etiam & hic, doctam quidem iſtius vocis *Siloah* feciſti conjecturam, aſt meo quidem judicio minus firmam, an vero meum iſtius vocis ἔτυμον firmioribus talis ſtare poſſit, tu eſto judex. (a)

§. 2.

(a) Immo gratiam non exiguam a me iniit, amiciſſimus Vir, qui haec me docere voluit, quamquam ob illam rationem, quam l. c. dedi, eo quoque facilius *Sylo* in *Siloah* mutari, idque nominis *Agricolae* adhaerere potuit. T. d. *H*.

§. 2. Mea itaque hæc eſt ſententia, celeberrimo viro *Rudolpho Agricolæ*, alias *Huesman*, hoc nomen *a Siloha* datum ipſi adhæſiſſe e Cœnobio quodam Celeberrimo & vetuſtiſſimo patriæ noſtræ, aſt nunc diruto vulgo *Klooſter Silomonniken*, alias *Silo* nuncupato, quod primo quidem a Sanctis Virginibus Ordinis S. Benedicti, aſt ab anno 1444. usque dum eſſe deſiit, a Monachis Auguſtinianis inhabitatum fuit, ſitum in terra Amaſana, vulgo in *Embzigerland*, in præfectura Emdana, ad ſemihorium diſtans a pago *Weſterhuiſen*, cujus fata alio tempore plura dabimus, tu interim vide, quæ Clar. Ubbo Emmius huc illuc, præſertim lib. 56. p. m. 866. & lib. 58. p. 869. & 901. de eo retulit.

§. 3. In hoc clauſtro Rudolphum *Agricolam* per aliquot annos fuiſſe & vixiſſe, & inde ipſi cognomentum *a Silo* aut *a Siloha* adhæſiſſe, rationes habeo cur credam; inter quas & hæc eſt; frater ejus *Johannes Agricola*, ſive *Huesman* etiam in hac regione ſummo in pretio & honore fuit, nam ab anno 1485. Glorioſiſſimæ memoriæ, Comitiſſæ Thedæ, Ulrici primi Comitis Friſiæ Orientalis Biviræ fuit Secretarius, poſtea Conſiliarius, & tandem ab anno 1489. usque ad annum ipſius emortualem 1507. *Algemeene Landrigter*, quo in officio ſucceſſiſſe videtur Hajoni *Dodenæ*, qui illud ab anno 1476. ſuſtinuerat, uti & Wiardus *Mekkema*, Johanne Agricola mortuo, provin-

vinciam illam Generalis territorii judicis uſque in annum 1514. adminiſtravit.

§. 4. Scrupulus forte popularibus meis oborietur ex vulgari nominis pronunciatione deſumtus *Klooſter Sylmonnicken*, non *Silomonniken* acſi nomen illud clauſtro inditum eſſet ob aquæ ductum, vulgo *Syle*, qui iſtic loci olim fuit; aſt unde nomen illud ortum fuerit, nunc non moror, dummodo probavero, idem illud Cœnobium *Sylmonniken* olim etiam *Silo* nuncupatum & ſcriptum fuiſſe. Hoc autem mihi conſtat ex ſubſcriptione quadam, dum clauſtrum jam in agone erat, facta.

„Wy Prior *Thomas de Sutphano* met myne „twee Conventualen, als de Supprior und „Johannes Horſtius, Conventualen in SYLO „verkopen een Rentebreef, die op Greete „Walburgs hues holdt, an den Eerſamen „Borger Johann Philips &c. Datum in Silo den 23. Junii 1569.

Onder ſtond
„Pater Prior, met zynen twee Con-„ventualen Suppriore & Horſtio.

Cœnobium vero illud *Silo* idem eſſe, quod alias *Sylmonniken* vocatur, nullus dubitabit, qui ſequens vetus χειρόγραφον, quod totum exhibeo, perlegerit.

„Wy *Thomas Sutphanus* Prior to SYLMON-„NIKEN en andere Conventuaal prieſteren

„be-

„belyen en bekennen overmits deſen openen
„verſegelden breeve, dat wy den Eerſamen
„en wolgeagten Borger to Emden Johan
„Philips hebben verkoft en overgedragen,
„met conſent onſer Genedigen Vrouwen,
„eenen Rentebreef van twee Rynſſe Gulden
„jaarlykſe Renten, met twee jaar agterſtalli-
„ge Renten, de gulden agt ſchaap holdende
„op Greete Volbergs hues to Emden, in de
„Karkstraate gelegen, derhalven wy hem
„ook Vry willen holden voor alle Anſprae-
„ke und inſeggent, de Grete vorſchreven,
„ofte jemand te wege mogte brengen, dewy-
„le ſe voorgemelde inwerpt, alſe van onbe-
„taalde rogge, die wy in vorigen tyden ſali-
„ger gedechteniſſe Prioris Henrici *Vollenbo*
„und Brœder Hermens *Schoomakers*, die nu
„omtrent 16 Jaaren dood zyn geweſen, had-
„den ontvangen, heft Greete nuwerlde
„eenige ſchuldqueſtie gemaakt, ſondern
„itzigen Prior Thomas Sutphano altoos ſon-
„der wedderſpreken de rente des breeves,
„desgelyken ook den zaligen Procuratori
„Lamberto, nu averſt opt leſte een Krum-
„holt daarin werpet, unde wy den rente-
„breef eenen anderen overdragen, den wy
„œr voor eerſten 3 edder 4 maal in te loſſen
„angeboden, unde ſe neen luſt edder wille
„daar toe hadde, tho oerkonde der waarheid
„heb ik voorgemeld in tegenwordigheid des
„Supprioris Horſtii myn gewoonliken pit-
„ſier

„ſter hyr onder opt Spatium gedruckt, Anno
„1654. am dage trium Regum.

Ex allegatis literis conſtat. 1. SYLO & SILO utrumque ſcribi, & idem eſſe, quod alias *Sylmonniken Klooſter*, vocatur, 2. Quod ex aliis regionibus ſuas incolas etiam habuerit, 3. quinam ultimi iſtius Cœnobii Priores fuerint.

§. 5. Communicabo nunc tecum, ex autographo epiſtolam Johannis Arcerii, ut mihi occaſio ſit quædam minus nota & de illo, & de nonnullis, qui tum temporis eccleſiam Emdenſem turbarunt, depromendi.

Docto ac Vigilanti Viro D. *Martino ELIACO*, Friſio, Verbi Dei Miniſtro digniſſimo Domino & Fratri ſuo longe Cariſſimo.

Emdæ ad proprias manus.

S. Etſi nihil eſſet peculiare, Martine huma-
„niſſime, quod me tibi ſcribere in præſentia
„oporteret, & nec dum Dominus mihi locum
„oſtenderit, de quo mihi ſcribenti tum gratu-
„lari poſſis; tamen qui per magna ſum hu-
„manitate abs te affectus, interea dum nuper
„apud vos cum magno animi dolore vobis
„me oneri, mihi vero ipſi damnoſum ob
„longam moram fuiſſe, dubium non eſt: in-
„gra-

„gratus forem, ſi non vel verbulo te ſaluta-
„rem. Quin imo omittere non potui, quin
„fidelem nuncium nactus, non rerum qui-
„dem mearum ſtatum, ſed veſtrum ipſius,
„vel potius Eccleſiæ, ipſiusque Dei nego-
„tium vobis perſcriberem. Quod cum mi-
„rum videri poſſit, cum nemo pene melius
„ſuas res, quam ipſe pervideat, tamen quia
„Lyncei tales non ſunt, qui occultos cor-
„dium receſſus, & ſecreta molimina homi-
„num videre poſſint, ſolius Dei proprium ſit
„εἶναι Καρδιογνώστην, quæ ſcio, ego ſcribere
„conſtitui.

„Hæc vero cum ſe non raro prodant, ut ita
„dicam, cuniculatim, Dominus efficit ali-
„quando, ut cum ſuæ gloriæ videtur intereſ-
„ſe, veluti ichneumonis luſu iſtiusmodi ve-
„nenati aſpides ex ſuis antris in apertam lucem
„protrahantur, iſtiusmodi monſtra, quæ ſo-
„lis & ſenſus pene fugientibus ſibilis nociva
„ſunt, verbo Dei, ceu manu clavaque Her-
„culea præſecentur, jugulenturque. Quod
„cujusmodi ſit, ſic paucis accipe. Diſceden-
„ti mihi a vobis, quidam, ſat quidem vobis
„antea, at nunc multo magis notus, literas
„perferendas ad quendam ſuum amicum
„quem ego noſſem, dedit: Sed cum hac re-
„verſus, ille, ad quem ſcriptæ erant diem
„ſuum obiiſſet, adhibito quodam literas ape-
„ruimus, legimus, in quibus cum ille mihi
„monſtri quid alere, & in homines Doctos,
„pios

„pios, ipſumque Spiritum Sanctum eſſe *blas*-
„phemus & contumelioſus videretur, vobis
„exemplum illarum propere mittere viſum
„fuit , ut talibus nebulonibus impium
„os obſtruatis, quæ ſua venena nondum de-
„ſinunt exſpuere. Non neſcio quidem ho-
„mini illi idem adeſſe, quod pullis equinis, qui
„matris uberibus abunde lactati ſe vertere &
„ipſam matrem, a qua tam materne ſunt nu-
„triti, ſæpe calcitrare ſolent: ſed & verum
„ſit *illud* Apoſtoli, tales e nobis exiviſſe, ſed
„non fuiſſe de nobis. Interim dum multos
„pervertunt, hujusmodi Vulpes digito indi-
„candæ ſunt, ut fœnum animalibus cornu fe-
„rientibus in cornu appendi ſolet, quo ca-
„veant ſibi ignari & ſimpliciores. Hominem
„autem quem puto, quotidie videtis ſeden-
„tem in ingreſſu plateæ, in qua tute habitas,
„*Simoni* eſſe nomen intelligo. Utinam tan-
„dem Eccleſiæ area ab iſtiusmodi monſtroſis
„belluis, cujusmodi adhuc multas fovetis,
„Dei beneficio perpurgaretur: quanquam
„quamdiu hac carne veſtiti ſumus, id ſummis
„votis potius expeti, quam fieri poſſit, habi-
„turique ſint omnino fideles ſemper, qui ſe
„exerceant: tamen Sabbatiſmo illo magno,
„qui jam in limine eſſe a piis omnibus ſpera-
„tur, quies erit ab omnibus laboribus & illo-
„rum ſors cum hypocritis futura eſt. Malis
„nec emendabilibus perditionem, ceteris, &
„de quibus ſpes aliqua reſidua ſit, Dominus

„meliorem mentem dabit. Hæc paucis de il-„lis, alias latius de rebus noſtris, quæ cujus-„modi ſint hieme futuræ, Deus novit. For-„taſſis Dominus alibi relinquet pagum ſi in „urbe eſſe non liceat, ubi verbum Dei, ſi li-„teras non poſſum, doceam, quod unice in „votis & ſtudio noſtro eſt. Quæ Michaeli „dicere me juſſeras, dixi. Vale cum uxore „& liberis in Domino, & cum collegis fratri-„busque omnibus, nominatim ſaluta D Vi-„bium Andream, (b) Polyandrum & (c) Do-„minicum & uxorem tuam. Raptiſſime Del-„phis poſtridie Calendas Octobris 1573. De „rebus Hollandicis vos nobis longe certiores „eſtis, quod ex illo tractu, quo bellum ſer-„ve Hiſpanienſe, cotidie ad vos, raro ad „nos commeent. Nos certa optima ſpe prædi-„ti ſumus. Iterum vale.

Tuus ex animo

J. *Arcerius*.

§. 6. Addam nunc ad illuſtrationem hujus epiſtolæ, quædam de Johanne Arcerio, & *Si-*

(a) Reſpicit *Johannem Polyandrum* Paſtorem Eccleſ. Gallicæ Emdenſem, parentem Viri Clariſſ. Johannis *Polyandri*, Theologiæ Profeſſoris Lugduni in *Batavis*.

(b) Intelligit *Dominicum Julium*, qui inter primos Leovvardiæ in Friſia 1566. conciones dixit, aſt ob religionem exſul Emdæ vixit, & officio Notariatus functus eſt, & anno peſtifero 1575. etiam audit Viſitator ægrorum extraordinarius.

*Simone* in illa memorato. *Johannes ARCERIUS*, Friſius, ob religionem exſul Emdæ per tempus aliquod ſubititit, ut ex hac epiſtola patet, inde ad Delphenſes in Hollandiam profectus, & nondum certo muneri adſtrictus has literas ſcripſit poſtridie Calendar. Octobris 1573. ad Reverend. Martinum *Æliacum*, Conterraneum ſuum, Paſtorem Emdenſem eodem anno morti ſuccumbentem, ſexto die Decembris. 1576. in Urbe Purmerenda ſub Claſſe Edamenſi in Hollandia Boreali Evangelium docuit, aſt incolæ iſtius Urbis ſubſidium ipſi ſubminiſtrare non valentes ipſum in Hollandiam Auſtralem dimiſerunt, ubi vero & in quo loco verbum reconciliationis prædicaverit, non conſtat. Poſtea 1580. iterum Miniſterium adiit in Hollandia Boreali *Te Terſchelling Ooſt en West*, ſub Claſſe Enkhuſana, ex quo loco illum in ſua Claſſe profectum fuiſſe alibi legi, 1597. in Friſia Paſtor audit in Eccleſia dicta Sanctæ *Annæ*, Parochia in tractu opt Bild vocato, tandem illum Ultrajecti ſubita morte extinctum fuiſſe die 26. Julii anni 1604. & in inſulano ſuburbio publico ſumtu terræ mandatum teſtis quidem eſt Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica p. m. 449. Sed qua fide, non patet, præſertim cum Johannes Arcerius ab anno 1603. Eccleſiæ Hamburgenſi Reformatæ præfuit, cujus etiam teſtimonium Eccleſiaſticum 1620. ab ipſo, ut paſtore Altonavienſi datum, probat, ipſum tum in vivis

 fuiſ-

fuiſſe. Hinc ex dictis conſtat aut erraſſe Valer. Andream in aſſignando anno mortis, qui non 1604. ſed forte 1624. fuit, aut Johannem Arcerium paſtorem Altonavienſem a noſtro diverſum fuiſſe.

§. 7. Filium reliquit ex ſententia memorati Valerii Andreæ *Sixtum Arcerium*, Friſium, Medicinæ Doctorem & Linguæ Græcæ Profeſſorem Franequerae Friſiorum, cujus edita opera ibi ſunt expreſſa; Parens Johannes Arcerius etiam nonnulla ſcripta reliquit, ſiquidem typis edidit Græce & latine Jamblichum Chalcidenſem de vita Pythagoræ, quamquam non ex voto & mente (d) Conradi Rittershuſii. Etiam inſigne Epitaphium erexit, tabulæ inſcriptum & ad columnam appenſum Franequeræ, dicatum Viro Clariſſimo Petrejo Tiara, Vorcomii in Friſiis nato 1514. Idibus Julii, Medicinæ Doctori, Poetæ, Philoſopho, trium lingearum ſcientia probe inſtructo, Græcas lite-

(d) Neque magis Ludolpho Neocoro placuit haec editio, quae Heidelbergae typis Commelinianis a. 1598. in 4. prodiit. In praefatione enim ejusdem libri cum editum ab Arcerio dicit, ſed *adeo corruptum & deformatum, ut neſciat, an a renatis lite[ris] ullus ſcriptorum veterum pluribus mendis ſcatens in lucem unquam exierit, ipſam autem verſionem adeo* appellat *vitioſam, ut tota fere lituram mereatur.* In excerptis tamen albi Franequeranae Academiae, quae a Nicolao Blancardo edita ſunt, vocatur p. 61. Vir eminentiſſimus. T. d. H.

literas Lovanii, Duaci, Lugduni apud Batavos & tandem Franequeræ profeſſo, qui Franequeræ obiit, 1588. VI. Idus Febr. ætatis LXXI. ibique ſepultus jacet, teſte Valer. Andrea libro citato p. 719. In Johannis denique *Calvini* Catecheſin Commentarium ſcripſit.

§. 8. Quis in hac epiſtola vocetur Simon, & qualis ille fuerit ex ſequentibus pateſcet. Is fuit *Simon Haboſch*, Aldenardenſis Flander, Parochus Borchæmius prope Aldenardiam, ſolum vertens ob religionem Emdæ etiam appulit 1567. aſt Vertumni & Ecceboli inſtar in veritate vacillans ſemel agnita & avide depravatorum hominum præſertim Frankii ejusque furfuris ſcripta legens ſeducitur, mox relicta veritate peſſimam *hæreſin Gallicam*, tum temporis vocatam, imbibit, apud ſuos profitetur & aliis illam propinare auſus fuit, quæ ad quatuor capita potiſſimum referebatur.

I. Chriſtum habere carnem peccaminoſam æque ac nos, aſt ob divinam ejus naturam fuiſſe deificatam & ſufflaminatam, adeo ut peccare non potuerit. Hunc errorem probare conatur dicto Chriſti Matt. XXVI. v. 39. ubi orat, non mea, ſed tua voluntas fiat. II. Aſſerebat orationem hominibus non eſſe neceſſariam, ſiquidem irregeniti orare non poſſunt, & regeniti habent Spiritum pro ipſis orantem. Rom. VIII. v. 26. III. Vilipende-

bat publica ſacra, prædicationem verbi & ſacramentorum adminiſtrationem, eam potiſſimum ob cauſam, quoniam Chriſtus eſſentiale verbum Dei in cordibus hominum habitat, licet infideles ipſi obedire recuſent; inſulſum hocce dogma probare voluit ex dicto Johannis Cap. 1. v. 5. *Lux in tenebris lucet, ſed tenebræ eam non comprehenderunt.* IV. Gentiles absque cognitione Chriſti ſervari potuiſſe conſtanter aſſeruit.

§. 9. Ob hos illisque annexos errores, quos diſſeminare & aliis inſtillare voluit, non ſemel correptus eſt a Miniſterio Emdano privatim, aſt quum pergeret, etiam publicum colloquium cum ipſo fuit inſtitutum in Conſiſtorio die 21. Maji 1571. & non ſemel iteratum, quod etiam nitide conſcriptum in Gazophylacio noſtro antiquitatum conſiſtorialium aſſervatur, ſed in caſſum laborarunt Eccleſiæ Emdanæ Antiſtites, hinc 1572. undecimo Martii Simon Haboſch precibus Eccleſiæ traditur, ut ab errore in viam ſe reduci patiatur, anno elapſo, 1573. decimo Maji denuo Eccleſiæ proponitur, nominatis principalibus errorum ſuorum Capitibus, idem factum decimo quarto Junii, aſt contumax in perditiſſimis ſuis erroribus & Eccleſiæ noſtræ communionem ſexto Julii non amplius expetens, ut indignum Eccleſiæ membrum fuit amputatum 1573. duodecimo menſis Octobris die. Hoc ægre ferens Simon Haboſchius, ab eo

tem.

tempore multas moleſtias variis in Eccleſiis, paſtoribus & Senioribus Emdanis creare voluit, eadem mente epiſtolam exaratam eſſe ab ipſo ad quendam Delphis habitantẽ ex Joh. Arcerii literis conſtat, ubi illos maxime accuſat, quod injuſte ipſum excommunicaverint, etiam imputatos illi errores aut negavit aut palliare tentavit, ultimum tantum audacter confitens, nixus potiſſimum autoritate Uldenrici Zwinglii, & Johannis Calvini lib. IX. inſtit. cap. 16. §. 19. qui ipſius judicio idem docere viderentur; hinc etiam in publicis concionibus audire noluit verba Reverendi Martini Eliaci, paſtoris Emdani in Miniſterio Senioris, qui Ethnicis ſalutem adjudicare non auſus, *verbum Dei unicum medium ſalutis ſæpius vocabat* & cum Joh. Calvino loco & capite modo citatis §. 101. *Unicum regenerationis medium eſſe aſſerebat.*

§. 10. Querelas ſuas primo aperuit Eccleſiæ in Cliviis Weſalienſi, quæ ad ejus deſiderium literas miſit ad Conſiſtorium Emdanum ſignatas die 19. Novembris 1575. petens inſtrui de negotio cum hocce Simone habito, reſponſorias juſſu conſiſtorii remiſit digniſſimum Presbyterii Emdani membrum Ghoſes Luinga, aſt, quum ex voto forte non fuit reſponſum, ulterius conſilium expetiverunt ab Emdanis, quomodo in recipiendo Haboſchio ſit procedendum, eam ob cauſam quendam Johannem Pork Emdam miſerunt ornatum

literis συςατικαῖς, 1576. duodecimo Martii exaratis, qui a presbyterio Emdano reſponſum tulit, fratres optime noſſe, quomodo agendum ſit cum homine, cui omnis fraternitas juſte fuit renunciata.

§. 11. Aſt Haboſch voti ſui non compos factus in Angliam tendit & Nordwici in Eccleſia Belgica recipi deſiderat 1577. aſt Johannes *Migrode* Eccleſiæ iſtius Paſtor id declinare videtur, ipſique fuit e conſiliis ut *Medioburgi* in Claſſe die 8. Julii 1577. habenda ſe ſiſteret, quod etiam fecit, ibique reſponſum tulit, Claſſem velle ejus petitum Conſiſtorio Emdano aperire: & licet poſtea amicorum ſuorum quidam nomine Lowys, ſive Ludovicus ipſi menſe Septembri ſuaſiſſet, ut acquieſceret hac inductus potiſſimum ratione, quod laudatiſſima & celebratiſſima Eccleſia Emdana, nunquam ipſum excommunicaſſet, niſi ardua rei neceſſitas id poſtulaſſet, ille tamen acquieſcere noluit: easdem enim querelas effudit in ſinum Eccleſiæ Gandavenſis 1579. hinc ejusdem Eccleſiæ paſtor Petrus Haegman, alias Hypophragmus dictus, nono Martii Haboſii petitum Eccleſiæ Emdanæ palam fecit, qui inter membra Eccleſia recipi deſideraret, hinc expetit paſtorum Emdanorum Conſilium, quod ex rei veritate ipſi fuit datum.

§. 12. Tandem negotium hoc a Claſſe Middelburgenſi ad iſtius Urbis Synodum fuit delatum, cujus juſſu literæ citatoriæ ſunt miſſæ,

ut

ut Emdani paſtores ſe ſiſterent Synodo 1582. habendæ, aſt loco paritionis epiſtola fuit miſſa ad dictam Synodum, in qua produnt rationes ſuas ſonticas, ob quas coram ipſis comparere non licuit: Additis tamen documentis & Teſtimoniis multorum civium Emdanorum, qui ab anno 1563. Emdæ habitarunt, & tunc etiam Dei beneficio adhuc in vivis erant, qua ad inſtantiam Venerabilis Conſiſtorii Emdani coram Notario & teſtibus 1582. die 10. Septembris confeſſi ſunt, quod Simon Haboſch ſupra memorata quatuor errorum capita, ob quæ rejectus fuit a Communione Eccleſiæ, docuerit & diſſeminaverit, repudiatis omnibus ad reconciliationē remediis. Teſtium nomina fuerunt, Willem de *Viſſcher* Aldenardenſis, Haboſii Conſanguineus, Jacob van *Hoite* of Balam. Jacob de *Lobſe*, Gelein *Marote* & Michael *Pas*. Hoc teſtimonium die 15. Septembris ad Synodum miſſum, procul dubio totum hocce negotium finivit.

§. 13. Huic homini erroneo pace tua, Cl. Vir, adjungam Adrianum Gorinum, Peronenſem, Eccleſiæ Emdanæ Gallicæ, dum viveret, paſtorem, cujus mentionem faciunt Petrus Martyr in epiſtola ad Eccleſiam Peregrinorum Londini, Tiguri ſcripta 1561. die 15. Febr. Et Theodorus Beza in epiſtola 3. & 4. ad Symmyſtas in Friſia Orientali Geneva miſſa 1566. die 2. Septembris, in qua omnes poſte-

rioris Adriani Reſponſiones mox memorandae. Idem Beza in epiſtola 32. ad Johannem Criſpinum 1578. die 28. Aug. Adriani tragœdiam ſcire avet, & an ipſius literæ quid effecerint.

Memoratus *Adrianus GORINUS*, Peronnæ in Galliis natus, poſt renatum lumen Evangelicum inter primos fuit, qui Antwerpiæ aliisque in Belgio locis Evangelium apud Gallos docuit, & regnante Eliſabetha, Regina Angliæ, Eccleſiæ Gallicæ peregrinorum Londini præfuit, aſt ob Anabaptismum ſuſpectus & accuſatus, ut ex Martyris ſupra memorati epiſtola patet, ab officio remotus videtur 1561. eodemque anno die 19. menſis Maji comparuit Emdæ, omnibus ſubſiſtendi remediis deſtitutus. Aſt quum ob ſingularem pietatem in pretio erat, & a pietati deditis maxime æſtimabatur, aliisque in locis Eccleſiæ Chriſti cum applauſu inſervierat, & ex capitibus accuſationum Eccleſiæ peregrinorum Londinenſis, Adrianique reſponſis patebat eum magis ex infirmitate, quam malitia, etiam ex ſententia Petri Martyris, peccaſſe, & eam potiſſimum ob cauſam remotum fuiſſe, quod Anabaptiſtarum ſententiam circa ἐνσάρκωσιν Chriſti, ut æternæ ſaluti inimicam condemnare noluit: Mirum quantum illius conſuetudine & concionibus delectata fuit Eccleſia Emdana Gallica, quæ illum mox in paſtorem ſuum adſciſcit. Aſt annis quatuor ela-

elapſis antiquum favorem erga ſectam Anabaptiſticam aperuit, hinc a nonnullis iſtius Eccleſiæ membris etiam accuſatur 1565. quod illa hæreſi aliisque erroribus ipſemet imbutus eſſet, hinc ortæ rixæ & diſſenſiones inter membra iſtius Eccleſiæ, quorum pars potior eum voluit rejici, altera in officio retinere: pro remotione nomine Eccleſiæ præſertim agebant duo Seniores iſtius Eccleſiæ *Hector Carniœle* & *Henricus Michaelis*, aſt qui paſtorem in officio retinere conabantur, primipili fuerunt *Nicolaus Chardin* & *Charle Schaurbeke*: Quæ litigia adeo accrevere, ut ad ampliſſimum Senatum fuerint delata, cujus juſſu tamen totum hocce negotium delatum fuit ad Conſiſtorium Emdanum Germanicum, cujus labor in ſopiendis iſtis litigiis licet multus tamen caruit deſiderato effectu. Poſtea itidem in caſſum laboravit venerandus Friſiæ Orientalis Reformatorum Paſtorum Cætus. Tandem hoc negotium Theologos Genevenſes exercuit, & hac occaſione mentem ſuam expoſuit Clariſſimus Theologus Theodorus Beza in duabus literis ad Friſiæ orientalis ſymmyſtas, ſupra memoratis, quæ effectu omni non caruerunt, ſiquidem, ut paci iſtius Eccleſiæ conſuleretur, Adrianus ab officio Paſtorali Eccleſiæ Gallicæ diſcedere juſſus, ejusque in locum 1568. ſurrogatus fuit Louys *Maupin*, qui etiam usque ad diem mortis, qui in-

incidit 1570. die 10. Decembris, iſti Eccleſiæ fideliter præfuit.

§. 14. Capita potiſſima accuſationum Adriano ab Eccleſia imputata, ob quæ etiam ab officio rejectus fuit ex hac ſubjecta brevi, ut vocat, reſponſione lectori pateſcent, quæ ſi conferantur cum iis, quæ Theodorus Beza illi oppoſuit in ſæpius memorata epiſtola quarta, omnia fient lectori γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα.

Brevis Reſponſio *Adriani GORINI*, Peronenſis
ad
Accuſationes Henrici Michaelis & Hectoris Cornicæle.

Ad Caput. 1.

„Falſorum dogmatum redargutionem attigi, quantum locus, tempus, auditorum „meorum ratio poſtulare mihi videbatur, nec ullum unquam, quantumvis levem errorem malitioſe extenuavi, ut Deus & mea conſcientia mihi teſtis eſt.

Ad Cap. 2.

„Nego ita eſſe ut ajunt, ſed res ſic ſe ha„bet. Explicatis noſtri Catechiſmi verbis, „quibus aſſeritur Chriſti corpus eſſe *de ſub*„*ſtantia Virginis matris*, ut melius & ſincerius „Anabaptiſtarum circa hunc articulum error „intelligi, & efficacius citra calumniam re„futari poſſit, antequam juſtam refutatio„nem

„nem & confirmationem exſequar, ſoleo ſe-
„junctione in hanc ſententiam, & iis ferè
„verbis uti. Jam vero quam acriter hoc
„tempore circa hunc incarnationis Chri-
„ſti articulum diſputetur, etiam inter eos
„qui Deum alioqui ex animo quærere, & ſi-
„bi eſſe benè conſcii videntur: ſpectandum
„eſt quid nobis cum adverſariis conveniat,
„quid in controverſia relinquatur. Conve-
„nit autem Jeſum Chriſtum filium Dei, eſſe
„conceptum de Spiritu Sancto, natum ex Ma-
„ria Virgine, eſſe verè filium Mariæ, verè
„hominem, verè pro nobis paſſum, ſuſcita-
„tatum & verè item Advocatum noſtrum,
„Mediatorem Dei & hominum, denique ſo-
„lum proprie Jeſum ſeu Meſſiam, pro qui-
„bus omnibus & ſingulis aſſerendis cordati
„utriusque partis mortem oppetere non re-
„cuſant. Relinquitur verò in controverſia,
„num corpus humanum illius ipſius Chriſti
„ſit ex ſemine, vel ſanguine, vel carne, vel
„denique ex ſubſtantia virginis matris, illi
„negant, nos affirmamus. Jam ultro addo,
„non putarem, eum errorem in quo verſan-
„tur per ſe tollere fundamentum fidei, ſeu
„excludere ab hæreditate regni cœleſtis.

ad Cap. 3.

„Neminem importune urgeo, ut idem
„mecum de hoc errore judicet, fateor ta-
„men, me velut eo adactum dixiſſe cuidam
„importuno homini, quod ſi perſuaſum mihi
„eſſet,

„eſſet, uti eſſe poſſet, hunc vel illum Ana„baptiſtam, eſſe vere pium & Dei filium hæ„redemque, eum me bona conſcientia ad „ſacram cœnam admittere poſſe, licet ob „politiam Eccleſiaſticam, nec vellem nec „expedire arbitrarer. De mere papiſtis aliud „& dixi & ſentio.

ad Cap. 4.

„Quid ego dixerim de noſtri Catechiſmi „auctoritate apud quosduam modeſte & „quem in finem, ſat conſtare puto: Certè „nihil aliud volui, quam licere alicubi dubitare „num certum omnino ſit quod adfert author, „& ejus authoritatem non eſſe irrefragabi„lem, uti eſt ſcripturæ ſacræ authoritas.

ad Cap. 5.

„Nihil odioſè detraho, nec detractum „volo, bonis bonorum interpretum libris. „Quid de Domini Calvini Caſibus humanis, „apud quem, quo ſenſu, qua modeſtia, in „quem finem dixerim, cuperem teſtarentur „Nicolaus Gardinius & Carolus Schaurbeke: „tantum certè tribuo & tribui Calvini libris, „quantum jure â me poſtulari poſſe arbitror. „Valdeſii centum & decem conſiderationes „hic germanicè editas eſſe, ob quorundam „offenſiones, doleo; fateor tamen non vi„dere me librum eſſe dignum tam acerba in„ſectatione, & mihi non probari artes, qui„bus offendicula nata ſunt & creverunt. De „lata, ſeu Vaccarum, ut vocant, via reſpon-

„deo,

„deo, metum mihi privatim nihil præ reli-
„quis arrogarè voluiſſe ; ſed taxare eos, qui
„quum numero & authoritate valeant nego-
„tium ſolent faceſſere ea in parte inferiori-
„bus, ſi diſſentiant alicubi.

ad Cap. 6.

„Nunquam dixi, nec etiamnum ſentio
„polygamiam licere coram Deo, aut in uſum
„revocari debere.

ad Cap. 7.

„Quum agerem de libello repudii, item
„de lege talionis Matth. V. dixi, quædam
„politicè licere ſeu permitti, & ad evitan-
„dum majus malum, quæ moraliter ſint ma-
„la. Huc retuli obiter exemplum de lupa-
„naribus, quæ Magiſtratus alicubi ſine ſua
„culpa permittere poteſt, ſi modo cogatur ad
„evitandum majus malum, alioqui neceſſa-
„rium.

ad Cap. 8.

„Sentio & doceo Spiritualem noſtram cum
„Chriſto communionem, obtineri fide, ad
„quam fidem confirmandam valent Sacra-
„menta, tanquam efficacia, ex parte quidem
„Dei, ſigna & ſigilla externa, non quod
„Chriſtum propriè nobis dent, ſed quod pro
„nobis datum eſſe in mortem, & noſtrum eſ-
„ſe ſuo quodam modo verè teſtentur.

ad Cap. 9.

„Nihil hactenus audivi de iſtiusmodi no-
„ſtri

„ſtri Magiſtratus edicto, & mihi longe me-„liora polliceor.

„Hæc habui, Chariſſimi fratres, quæ ad „accuſationis capita breviter, pro ut â vobis „bis juſſus ſum reſponderem. Ego verò me „offero ad accurationem mei purgationem, „ſi opus ſit. Non defugio audire teſtes & „momenta rationum, quæ mei accuſatores „pro ſe, adverſus me facere putant. Imo „ſemper fui & ſum paratus diſputare, modo „Chriſtiane & bono ordine, & cum ipſis, & „præterea cum omnibus piis & doctis, pro-„ut locus & tempus & res poſtulabit. Opta-„rem ſanè ut mei accuſatores de omnibus & „ſingulis capitibus, de quibus me accuſant, „mecum egiſſent uti decebat, fratres & Ec-„cleſiæ Rectores: ſaltem ut ne tam confidenter „me accuſaſſent de quibusdam, de quibus ne „verbum quidem, ex me unquam audive-„runt.

*Adrianus* GORINUS,
*Peronenſis.*

VIII.

# Catalogi librorum a Proteſtantibus, praecipue Reformatis editorum

## GERMANICE

### Continuatio.

JAcob SAURIN Predigers der Frantzöſiſchen Gemeine im Haag, in der Schrifft, Vernunfft und Erfahrung gegründete Betrachtungen von dem höchſt-gefährlichen Auffſchub der Buſſe, in drey Predigten verfaſſet, und nach der ſechſten Frantzöſiſchen Aufflage ins Teutſche überſetzet. Franc. 1721. 8. 8. phil.

*Roberti BOYLE*, weyland Mitglieds der Kön. Societät der Wiſſenſchafften angenehmes und ſüſſes Opffer eines wahren Chriſten vor Gott, oder nöthige und nützliche Erinnerung, wie ein rechtſchaffener Chriſt ſeine Dienſtpflicht gegen Gott anzuſtellen, und ſolche in ſeinem Leben und Wandel auszuüben habe; alles aus Gottes H. Wort bewieſen, und zum Dienſt einer ſondern Chriſtlichen *Province* mitgetheilet, ſamt einer Vorrede des S. *Theologen* H. Gottfried Arnolds, *Paſtor* und *Inſpector* zu Werben von den warhafftig

geiſtreichen Predigten. Hamburg 1722. 19. pl.

Warnung für falſchen Propheten und falſchen Chriſten, welche in einer Predigt über das gewöhnliche Evangelium Matth. VII: v. 15, 23. *Octava Dominica Trinitatis* 1721. der Chriſtlichen Gemeine in der Ober-Pfarr- und Dohm-Kirche zu Cöln an der Spree, in Gegenwart ſeiner Kön. Maj. in Preuſſen vorgetragen, und auff allergnädigſten *Special* Befehl zum Druck übergeben worden von *Johan Erneſt ANDREAE, D.* und Königl. Preuſſiſchen Hoff-Prediger. Berlin 1721. 4.

*Benedicti PICTETI, Paſtoris* und *Profeſſoris* zu Genff, geiſtreiche Predigten über ſonderbahre Schrifftſtellen, wegen ihrer Vortreflichkeit aus dem Frantzöſiſchen ins Teutſche überſetzt. *Lipſ.* 1721. 8. 1. Alph. 13. B.

*Richard BAXTER* die rechte und wahre Catholiſche Kirche nach ihrer eigentlichen Natur und Beſchaffenheit beſchrieben; Francfurt 8. 1721.

*Ejusdem* Ehrengedächtniſs in einen Leichen- und Lobſpruche auffgerichtet, nebſt einem Verzeichnüſs ſeiner herausgegebenen und überſetzten Schrifften ins Teutſche überſetzet von Herrn *Joh. Georg. PRITIO*, der H. Schrifft *Doctor*, und des *Miniſterii* in Francfurt *Seniorn*; Francfurt. 1721. 8.

*Daniel de SUPERVILLE* Prediger in Rotterdam erbauliche Predigten über auserleſene Tex-

Texte der H. Schrifft, welchen ſtatt einer Vorrede fürgeſetzet iſt *M. Adami BERENDS* Predigt von der Vereinigung der Chriſtlichen Religion und der Liebe gegen diejenigen, ſo nicht unſerer *Religion* ſind; Aus der Frantzöſiſchen *Edition* ins Teutſche überſetzet von *M. G. J. MUSCULO Lipſ.* 1722. 4. 44. plag.

*Denck-Zettel*, wie vor allerley Menſchen, ſo beſonders vor die *Jugend*, zu ſteter Erinnerung an ihren Schöpffer, Erlöſer und Heiligmacher. Worinnen (1) zum Grund gelegt eine Betrachtung und Zueignung über die Sprüche *Salomonis Eccl. XII. 1.* (2) Beſondere Betrachtungen über die Pflichten gegen unſern Erlöſer und Heiligmacher angeſtellt; (3) Lebensreguln zu guter Anführung der Jugend gegeben werden; Zu gemeiner erbauung entworffen und ans licht gegeben von *Hermann Reinhold PAULI*, Dienern des Evangelii Chriſti zu *Braunſchweig*. Bremen. 1721. 12. 5. Bog.

Wohlmeinende Warnung für dem Miſsbrauch des H. Abendmahls bey den Krancken, worin deutlich und ſchrifftmäſsig angewieſen wird, wie weit ſolches ohne Aberglauben, und mit Erbauung gehalten werden möge, herausgegeben mit *Approbation* des hieſigen Königl. Preuſsiſchen Hof-*Miniſterii*. Berlin. 1722. 8. pagg. 56.

Der Chriſtliche Ritter-Orden, oder Hand-

büchlein der Gottſeeligkeit, begreiffend die Reglen eines göttlichen Lebens aus Gottes Wort fürgeſtellet. Bern. 1722. 8. 5. Bogen.

*Johannis Altmanni, V. D. M. & Gymnaſiarchæ Bernenſis* neugebahnter Weg zu einem Evangeliſchen Kirchen-Frieden; oder *Propoſition* eines neuen, leichten und ſicheren *Expedients* zu erwünſchter *Aſſociation* der Proteſtirenden, in einen Leib der geſamten Evangeliſchen Kirchen, ohne daſs weder die von der Augſpurgiſchen, noch die von der Reformirten *Confeſſion*, ihre Lehr oder Kirchengebräuch im geringſten deſshalben zu ändern gehalten ſeyen. Allen und jeden Herren Abgeſandten der Proteſtirenden *Souverainiteten*, welche im Nahmen ihrer hohen Herren *Principalen* das *Corpus Evangelicum* auff dem Reichstag zu Regenſpurg vorſtellen, zu unbeſchwerter Uberlegung demütig *recommendirt* wird. *Luth. Tom. 3. Witt. pag. 565.* Nicht durch lehren, ſondern durch viel diſputiren, wird die Wahrheit verlohren, dann die Böſen bringen die *Diſputationes* mit ſich, daſs die Gemüther dadurch verdorben werden: Vnd wann ſie mit dem Gezänck zu thun haben, verſäumen ſie darüber, was ſie fürnemlich treiben ſolten, oder was das fürnemſte iſt. Bern. 1722. 4. 8. pl.

Wohlgemeinte und in der Liebe abgefaſte Unterſuchung der ſo genanten Pietiſterey, und Aufflöſung der diſsfalls vorkommenden Zwei-

Zweiffels - Fragen, mit angehängter treu-hertzigen Vermahnung zur wahren *Pietät*, und Chriſtlichen Einigkeit von einem Seligen Liebes - Jünger Jeſu; Baſel. 1722. 12. 8½. B. *Auctorem ſcripti hujus eſſe ferunt Georgium THORMANNUM, Eccleſiae Bernenſis quondam Miniſtrum, Virum haud tralatitiae pietatis, unde & ipſe quandocumque ab iis, quibus accuratior & ſincerior, quam vulgo Chriſtianorum arridet, Dei cultus, PIETISMUS dici ſolet, illis, quos hoc libello refutavit, fuit adſcriptus.*

*M. Daniel SACHSEN*, weil. Fürſtl. Anhalt wohl-*meritirten Conſiſtorial*-Raths, *Superintendentens* undHoff-Predigers,auch Ober-Pfarrers zu Cöthen, *Erbauliche Geheimniſs-Predigten* über L. Fürbilder des A. Teſtaments, welche in dem neuen an Jeſu von Nazareth ſind erfüllet worden; Auff Hochfürſtl. Befehl undKoſten von neuem zumDruck befördert; Samt einer Vorrede, worinnen des Seel. *Autoris* Leben mit vielen Merckwürdigkeiten erzehlet, und zur Erhaltung des Andenckens ſeiner *Meriten*, und Erbauung der leſenden mitgetheilet wird von *Chriſtian FRIDELN*, *Archidiacono* und Diener des göttlichen Worts bey der Reformirten Stadt- und *Cathedral*-Kirche zu Cöthen; Cöthen. 1721. 4. 6. Alph. *Altera editio libri, qui primum eadem in urbe a. 1653. in 4. prodiit.*

*GEORG STANHOPE*, Königl. Engliſchen Hoffpredigers, bey unterſchiedlichen Gele-

genheiten erbauliche Predigten über Bibliſche Texte, welche ein gutes Chriſtenthum betreffende, aus dem Engliſchen ins Teutſche überſetzet, und mit kurtzen Anmerckungen, auch Regiſtern verſehen, von *Henrich ITTERSHAGEN*, *Scholae Tenſtadienſis Collega*; *Lipſ.* 1722. 8. 1. Alph. 1. B.

*Matthiae HALE*, *ſupremi quondam in Anglia judicis*, zwey fürtreffliche Bücher, davon das erſte einen Unterricht an ſeine Kinder, wie des Herren Tag gehalten werden ſoll, in ſich faſſet, das andere aber geiſtliche Betrachtungen von Kreutz und Leyden mitgetheilet, beyde um ihrer Fürtrefflichkeit willen aus dem Engliſchen ins Teutſche überſetzet von *J. C. S. M. D. Lipſ.* 1722. 8.

*Ludovici LANGHANS*, *Suſpiria Paſſionalia* oder Paſſions-Seuffzer aus allen Theilen des bitteren Leidens Jeſu Chriſti mit einem ſchwachen doch gläubigen Hertzen geſchöpffet und in 33. *Meditationes* ausgegoſſen bey nochmahliger Aufflage mit 9. Paſſions-Predigten vermehret. Berlin. 1722. 4.

Des Engliſchen Ritters *Robert NELSONS*, Ubung der wahren Andacht in Abſicht ſo wohl auff den Endzweck, als die Mittel der Religion; Aus dem Engliſchen ins Deutſche überſetzt; Augſpurg. 1721. 8.

*Benedicti PICTETI*, Erbauliche Unterredungen eines frommen Zuhörers mit ſeinem Seelſorger, worinnen heilſahme Vorſchläge

zu

zu Beförderung der vvahren Gottſeeligkeit abgehandelt, die davvider lauffende vorgefaſte Meynungen gründlich vviderleget, viele Schrifftſtellen deutlich erkläret, auch unterſchiedene Gevviſſensfragen, ſo in der Chriſtl. Sittenlehre ausgelaſſen ſind, erörtert vverden. Aus dem Frantzöſiſchen übergeſezt, mit nöthigen Regiſtern, auch einer Vorrede von der *ſpecialen* und *privat* Seelenſorge eines Predigers für ſeine Zuhörer verſehen von *M. B. Lipſ.* 1722. 8. 1. Alph.

*Jacobi SAURIN, Diſcours* über die gantze Bibel, in vvelchem über die merckvvürdigſten Begebenheiten des *A.* u. N. Teſtaments Hiſtoriſche, Critiſche, Theologiſche und Moraliſche Unterſuchungen und Betrachtungen angeſtellet vverden. Der erſte Theil in ſich haltend 70. *Diſcurſe* über die 5. Bücher Moſis ihrer beſonderen Fürtrefflichkeit vvegen aus der Frantzöſiſchen in die teutſche Sprache gebracht von *M. Joh. Tobias WAGNER*, Hochfürſtl. Blanckenburgiſchen *Bibliothecario*; Goslar. 1722. 4. 5. Alph.

Die letzte Rede des am Creutz ſterbenden Hertzogen des Lebens in ſo vielen Predigten verfaſſet. Dazu komt ein Anhang zvvey Predigten über die vorbildiſche Hiſtorie Cains und Abels Gen. IV: 1-16. ehedeſſen gehalten und heraus gegeben von Johan Jacob ULRICH, Prediger im Wayſenhauſs und Prof. der Sittenlehr; Zürich. 1722. 4. 1. Alph. 11. B.

Wundergeheimnüſs des Evangelii eröffnet von *Jeſu* Joh. VI: 65. und in einer zu *Bern* gehaltenen Probpredigt vorgetragen durch *Samuel LUCIUS*, Prediger der teutſchen Gemeine zu Yverdon; Baſel. 1721. in 8. 9. Bogen.

XXXII. Predigten über unterſchiedene Texte der H. Schrifft durch H. *Anton LEGER*, Prediger und Profeſſor in der Gottsgelehrheit zu Genff. Aus dem Frantzöſiſchen in das Teutſche überſetzt, Baſel. 1722.

 2. Alph.

2. Alph. 8. B. *Loca, quæ in hoc volumine tractantur ſunt* Ebr. XI: 1. 1. Joh. V: 4. 2. Cor. IV: 18. Eph. I: 16, 17, 18. Pſ. XVI: 3. 1. Tim. VI: 17, 18, 19. Matth. XIX: 23, 24. 2. Cor. IX: 9. Prov. XXI: 15. Rom. XIII: 12. Eccl. V: 1. 2. Cor. V: 1-17. Joh. I: 14. XII. 24. Rom. XIV: 7, 8, 9. Rom. VIII: 11. Pſ. XXV: 10, 11. Apoc. III. 20. Eſa. LIII. 1. Apoc. III. 17, 18.

Zvvo Chriſtliche Buſs- und Warnungs-Predigten aus Luc. XIII: 1-9. an deme, vvegen der in einer Provintz des Königreichs Franckreich aunoch graſſirenden *Contagion* angeſtellten Buſs- und Bettag den 13. Martii und 18. Sept. 1721. in der Pfarr-Kirche bey St. Leonhard gehalten, und auff Begehren in den Druck gegeben durch *M. Theodorum* GERNLERN, Pfarrern bey St. Eliſabeth; Baſel. 1721. 4. 9. B.

H. *Joh. Friedr.* OSTERWALDS, Pfarrherren zu Neuburg Summariſcher Inhalt und erbauliche Betrachtungen über alle Bücher und Capitteln der gantzen H. Schrifft; ſamt einer Vorrede von Leſung H. Schrifft; aus den Frantzöſiſchen überſetzt; Baſel, 1722. 4. 5. Alph. 7. Bogen.

*Friederich* RUDOLFFS Morgenröthe erſtes Licht zur Erleuchtung dunckler Hertzen junger Kinder; Baſel. 1722. 8. 14. B.

*Vindiciæ juris reformandi* der Sayniſchen Lands-Herrſchafften; oder kurtzer und gründlicher Bevveiſs, daſs dieſelbe das vormahls von vveiland Graff Wilhelm von Wittgenſtein durch unzuläſsige Gevvalt abgeſchaffte Evangeliſch-Lutheriſche Religions-Exercitium mit allem Recht vvieder eingeführet, und noch vveiter zu exerciren befugt ſind, dem *Impreſſo*, ſo die Reformirte Unterthanen in der Grafſchafft Sayn, unter dem Titul: Kurtze und gründliche Nachricht, *& reliqua.* Zu Ende des letztabgevvichenen Jahres zu Bekleiſterung ihrer bey dem Hochpreiſslichen Cammer-Gericht gegen die Landes-Herrſchafften nichtiglich angezettelten Religions-

gions- und Kirchen-Streitigkeiten ausgehen laſſen, entgegen geſetzt und zum Druck befördert. Anno 1719. 1. Alph. 4. B. fol. *Hoc ſcriptum oppoſitum fuit illi cujus recenſionem Tomo ſecundo f. V. p. 512. exhibuimus. Sed & hoc non diu poſtea libratum, refutatumque fuit alio libro, cujus nunc tibi tantum titulum ſiſtimus. Anti-Vindiciæ, quibus Eccleſiæ Reformatæ Comitatus Saynenſis, a prætenſo jure reformandi liberae adſeruntur.* Oder gründlicher Gegen-Bevveiſs, daſs die Lutheriſche Herrſchafften der Graffſchafft *Sayn* über ihre Unterthanen Reformirter Religion das *Jus reformandi* zu exerciren nicht befugt, ſondern vielmehr die ihnen *in Eccleſiaſticis* zugefügte *Gravamina* vvieder abzuſtellen ſchuldig ſeyn. Denen in Anno 1719. zum Druck beförderten ſogenannten *Vindiciis juris reformandi* derer Sayniſchen Lands-Herrſchafften, &c. &c. entgegen geſtellt, im Jahr 1720. 2. Alph. 1. Bogen fol.

(EL.) Das Hohe Lied des Salomo aus dem Ebräiſchen Grundtext in das Teutſche nach dem Grammaticaliſchen Sinn überſetzt, und mit kurtzen Philologiſchen *An*merckungen, in denen dieſe Dollmetſchung beſtättigt, zuvveilen auch anderer Ausleger Meinungen beſcheidentlich examinirt vverden, erläutert. Samt einer vorgeſetzten Einleitung und Abtheilung deſſelben als eines geiſtlichen Sing-Spiels, in ſeine *Actus* und *Scenas*; vvie auch einem Anhang zu den Anmerckungen von *G. W.* Memmingen. 1722. 4. 10. ph l.

(EL.) Die Ehre Gottes in den Wundern ſeines heiligen Worts, oder Einleitung zu den Geheimniſſen der gantzen Heil. Schrifft, darinnen, als in einer Haupt-Summa der beſten *Commentariorum*, alle Bibliſche Canoniſche Bücher ordentlich erkläret, die darinnen geoffenbarten Tieffen des Reichthums göttlicher Gnade und der mannigfaltigen Weiſsheit Gottes angezeiget, und zum Theil noch nicht bekannte

Wunder an dem Worte Gottes, in Anſehung der Methode des Heil. Geiſtes entdecket vverden; Vornemlich zu Göttlicher Majeſtät und ſeines Hochheiligen Nahmens mehrerer Erkänntnis und Lobes Verherrlichung, denen Menſchen aber zur andächtigen Vorbereitung auf die ſeelige Evvigkeit, Gott alsdann zu ſchauen von Angeſicht zu Angeſicht. Mit ehrerbietig-bevvunderender Feder entvvorffen von *Gottfried* *HENSELN*. Leipzig. 1722. 4. 1. Alph. 21. phil. *cum praefat.*

(EL.) Unvorgreiffliche Gedancken von der Vereinigung derer Proteſtantiſchen Kirchen, da denn zugleich bevvieſen vvird, daſs Herrn *Erdman NEUMEISTERS* kurtzer Bevveiſs, als ſolte das jetzige Vereinigungs-Weſen dem gantzen Catechismo zuvvider lauffen, gar ein ſchlechter Bevveiſs ſey, nebſt einem kurtzen Anhange, darinnen etliche Neumeiſteriſche Predigten unterſucht vverden, herausgegeben von *Chriſtiano Irenico*. Franckf. 1722. 4. 1. Alp. 2. phil. *Liber hic, quisquis etiam illius auctor eſt, ſolide admodum ſcriptus, omniumque attenta lectione dignus eſt.*

Das Mittel Gott unter dem Evangelio zugefallen. Worin von denen Bedingungen, vvelche diejenigen, ſo an Jeſum Chriſtum glauben, erfüllen müſſen, vvenn ſie Gott angenehm ſeyn vvollen: und von der falſchen Meinung, darin man über die Sache verfallen kan, gehandelt vvird. Anfänglich von Hn. *Benjamin HOADLY* Biſchoffen zu Bangor, in Engliſcher Sprache verfaſſet, und ſeiner Vortrefflichkeit halben durch Herrn *Ricotier* ins Frantzöſiſche, jeztt aber aus demſelben ins Teutſche getreulich überſetzt. Hamburg. 1721. 12. 1. Alph. 8. plag.

---

# QVAESTIO.

Quid ſit יונת אלם רחקים in inſcriptione Pſalmi LVI?

IX,

IX.

# *Fuga vacui.*

## M. M. S.

MARLBVRIVS, ſeris nomen memorabile ſaeclis,
Heroum Princeps, gloria prima Ducum.
Regum amor, Europae decus, hoſtis terror, amicus
Caeſaris, Albionis Palladiumque ſuae.
Qui Fabios nobis, Curios, fortesque Metellos
Reddidit, & belli fulmina, Scipiadas.
Vindice quo Rhenus, quo Vindice Scaldis & Iſter
Jugera diffracta compede laeta ſecant.
HIC SITUS EST; &, quo majorem vix tulit orbis,
Vix feret, exanimem tam brevis urna capit.
Non tamen hoc ſolum eſt, quo conditur ille, ſepulcrum,
Heic tantum immenſi nominis umbra jacet.
Pectora Germanae, Batavae quoque pectora gentis,
Quaeque vigent regnis pectora fida tribus,
Quotquot & in vaſto ſpirant pia pectora mundo,
Sunt immortalis tot monimenta Viri.

EPI-

# EPIGRAMMA.

Aurea promittit quingenta nomiſmata Princeps
Femina, MARLBURIO quae viduata viro eſt,
Carmine qui terſo deſcripſerit acta Mariti,
Ornari magni quo queat urna Ducis.
Quid tantam offerri ſummam mirare Poëtae?
Hoc pretium eſt, ſi quid judico, vile nimis.
Tot, quid enim? dotes animi, tot corporis, & tot
Grandia facta togae, fortia facta ſagi,
Tot lauros, populis tot reddita jura, tot urbes
Captas, tot valida parta tropaea manu,
Si pro quingentis vis verſu extollere nummis,
Singula vix uno digna vel aſſe forent.

T. d. H.

(o)